



Ha 179





46

# SORTEM ERUDITORUM INTER SE INVICEM CONSPICUAM SEU COMPARATE CONSIDERATAM, SIVE DOTES AC VIRTUTES,

QUIBUS

Nonnulli eruditi προεδρίαν præ se ferunt, dum  
præ aliis eruditis à teneris ad mortem usque inclare-  
scunt; (è quarum suavissimo conspectu inter alia vo-  
catio DEI interna, h. e. capacitas aliqua singularis men-  
ti indita, quippe quæ Literarum cultura per totam  
vitam insigni sæpè excitatur, elucescit)  
exhibit

AD ILLUSTRANDAM CIRCA LITERATURAM  
DEI PROVIDENTIAM

M. MARTINUS GREIMIUS,  
ad D. B. V. Pastor & ad D. Nic. Symmysta  
ILEB.

LIPSIAE,  
APUD HÆRED. LANCKISII  
A. M DCC XIV.



Ha

SORRY  
ERODIUM  
INTERSECTIONS CONSIDERED  
IN COMPARATIVE CONSIDERATION

PERILLUSTRI  
AC.  
GENEROSSISSIMO. DOMINO!  
DOMINO.  
**JOH. GEORGIO.**  
**A. PONICKAU.**  
DYNASTÆ. IN. POHLA. SCHEU-  
BORN. TASCHENDORFF. ET. KLEIN-  
OPIZ. &c.  
POTENTISSIMI. POLONIARUM.  
REGIS. ET. SERENISSIMI.  
SAXONIÆ. ELECTORIS.  
IN. PROTO-SYNEDRIO. ECCLESIASTICO.  
PRÆSIDI. EMINENTISSIMO.  
IN. SENATU. AULICO. JUSTITIÆ. ET.  
APPELLATIONUM.  
CONSILIARIO. GRAVISSIMO.  
DOMINO. SUO. GRATIO-  
SISSIMO,  
PROSPERITATEM. OMNIMODAM!

Ha

PERILLATRI  
CENSEROSISSIMO. DOMINO.  
DOMINO.  
Joh. GEORGIO.  
A. PONICRATI.  
DUNASTRA IN POHLA SCHREB  
HORN TASCHEIN DORF ELLIKOW  
OTRY &  
HOHENTITZSCHI POLONIA VARIUM  
REGIS S. L. SAPRANUS S. M.  
SAXONIA TRACIENSIS  
IN TOTENHORN DEDICATIS  
LIPSIENSIS TITULUS HIRSCHI  
T. BERNARDUS CANTABR. PROFESSOR  
CONSEPTUS DE CORVYLLUS  
DOMINI NO. GRATIO.  
M. S. M.  
H. O. S. B. R. I. E. M. C. M. D. M. A. M. I.



PERILLUSTRIS ET GENE-  
ROSISSIME  
DOMINE PRÆSES!

**T**Repida fronte TE insignis Doctri-  
næ & autoritatis Splendore Inclu-  
tum hæc qualiscunque opella fa-  
lutat: fastigii enim Tui conscius  
fateri teneor, levissimam hanc Scripturam nito-  
rem ac nervos non assumisse, inde nec dignam  
esse, quæ tanti VIRI oculis subjiciatur. Ast cau-  
sa est in promptu, cur oculos ad Tuum fasti-  
gium attollere annisum iverim: partim, quia  
TE



TE omnium virtutum gloriâ præstantissimum  
novis eminentissimi Præsidis honoribus à R E-  
GE P O T E N T I S S I M O condecoratum  
gratulando intueor, ad QUEM clientum cu-  
mulus summâ submissione confluere satagit;  
(quod & ego hisce votis ardentissimis præstite-  
rim): partim, quia multis nominibus me tantæ  
splendenti Familiæ obligatum video. Verbis  
enim exprimere neutiquam possum, quanta  
gratiæ insignia ab annis Academicis in me de-  
clarata fuerint: meretur sanè gravem & ho-  
norificam laudationem, quod Beichlingianis  
olim auspiciis cum D E O auspicarer fortis &  
officii dimensa, quæ per quatuordecim ferè  
annos obivi, bonâ hucusque sustentatus con-  
scientiâ. Cum derivatâ autem & amplificatâ  
hac Illustri Familiâ, ubi DECUS PONI-  
CKAU-MILTITZIUM accessit, tum TE in  
locum Ecclesiastici Senatus PRÆSIDIS olim  
eminentissimi, Comitis Beichlingii, dignissimis  
meritis succedente, in participatum gratiæ ad-  
missum me judico; adeo ut GRATIO-  
SISSIME DOMINE PRÆSES, æqua-  
lem gratiæ in me affectum animo Tuo effluxu-  
rum in mente conceperim. Sistit autem haec  
Opella, quam NOMINI TUO inscripsi  
maximè Illustri, προεδρίαν Eruditorum inter se  
invicem conspicuam, quæ secundum tres SE-  
CTIO-

\* \* \* \*

CTIONES in tergemina ætate proponitur; quâ TE omnium eminentem à primis annis eruditî & Principes rarissimis seculi nostri Tuis dotibus ducti æstimavere. Divinissima sanè sunt, nec exotico quodam egent ornatu, quæ de Tuis initii gloriosis, progressibus insignibus & actionibus laudatissimis patescunt: hinc etiam doctrinâ & consiliis probatissimum REGIS nutu Divinum Numen Ecclesiæ Saxoniæ donavit, quo dirigente salutaria nobis obveniunt. Tantum abest, ut provinciæ nostræ salutari cognitione imbutæ desperent, ut Tuis consiliis Ecclesiæ in iisdem salutiferis potius efflorescant: quippe tanto in Proto-Synedrio Tui Splendore evidentissimum nobis argumentum amplioris Ecclesiarum status constat. Nec est, quod dubitemus; potesne pietatem restaurare, qui Stemmata Heroum Togatorum religiosissimo eluces? potesne in agendarum, tractandarumque rerum Palæstra desudare, qui virtutes è divinæ mentis sacrario certatim elucentes ostendis? potesne subvenire turbatis Ecclesiis, qui solidissimis consolationum fontibus semper niteris è Scripturâ deprompis? Quorum omnium me ita non exortem duxerim. Proinde pusillum hoc devotionis meæ pignus subjectione omni moda traditurus opto, ut TE gratiosum interpretem, & indulgentem judicem inveniat.

DEUS



DEUS autem ter Optimus terque Maximus  
largiatur, ut tantus tamque Illustris P RÆSES  
salvis viribus indefessus, assiduusque Saxum hoc  
turbulento tempore porrò volvat, quò fatis  
PIPPINGIO-LOESCHERIANIS simul  
secundis Ecclesia nostra de successu gaudeat ad  
vota fluente.

O DEUS tuearis IPSUM cum cæteris VIRIS,  
raris illis Depositis, fulgentissimis pariter binis  
Luminibus, πρωμάχοις orthodoxæ Ecclesiæ hoc  
tempore celeberrimis; ut præsidio salvo salva  
selectissima Ecclesia, salvæ illustrissimæ Acade-  
miae & Scholæ, aliaque Seminaria nobiscum  
florent: Ne tollas Ecclesiarum Patrocinium,  
sed confirmes sacratum, ut & hoc Tuo Organo  
regni militantis ratio habeatur saluberrima.


## PER ILLUSTRIS EXCEL- LENTIÆ TUÆ

Ileb. die 3. Jun.

A. 1714.

Obsequiosissimus Cliens

M. Martinus Greimius.



## BENEVOLO LECTORI P. & O.

**M**ulta sunt, quæ me ad hæc prodenda cibere, ut-pote quæ non minus dona DEI egregia, quam profectus iisdem nitentes mirificos, & actiones exinde præclaras exhibent. Disputationi qui-dem Anno M. DC. XCV. d. VI. Martii Lipsiæ a me ad Gymnastica Philosophica cum aliis exercenda habitæ multa de hisce annexere, argumenti æqualitate du-citus, studebam; sed ne Limites transirem solitas, tenebar ab-rumpere. Quapropter ambitum Thematis, quo Eruditorum *Ægripatua* aliqua exhibere annitebar, mihi metienti, omnia per-currendi secula animus quidem erat; sed me, tanquam e specu-la cernentem, scripturam quandam modum dissertationis exce-dentem futuram, detinebat ordo tantum præsentium seculorum. Cæterum, ut ubiores de hac re labores prodam, requirit partim jus lectoris, debitum conjectantis, partim meditatio mea donis nonnullorum divinissimis hactenus nisa studiose juventuti ape-rienda; quippe quam specimen providentiaæ divinæ circa Literatu-ram adjuvat intueri, cuius intelligendæ gratia documenta eruditorum mihi hactenus proposui non exigua. Horum perlustratio me ad initia gloria, progressus insignes & actiones laudabiles deduxit; ita ut dotes inde præclarissimas cognoverim, quas cura & provi-dentia DEI semper in nonnullis insigniori gradu extitisse Seniores

A

non

non dubitant. Notanter dixi: in nonnullis; Nam æqualia dona & æqualem capacitem omnibus non adscriperim: dum rem unam omnes homines pari modo & gradu apprehendere & judicare non solent, utpote naturalibus donis inter se impares. Hinc & Joh. Lock. de intellectu humano, Introd. Libr. I. §. 4. ita scribit: *Si perquirendo ita & investigando naturam intellectus, vires ipsius exploratas habere potuero, quasque nimirum pertingant; quibus rebus quovis modo percipiendis pares sint; & in quibus studia nostra frustrentur; magno arbitror usui illud fore ad curiosa nimis & negotia hominum ingenia commonefacienda, ut, que captum illorum excedunt, ab iis investigandis caverent; ut intra proprios terminos subsisterent; vel ægrefferrent, seres ignorare, quas se cognitione assequi non posse deprehendunt &c.* de rebus pergit disputare, quæ mentis aciem effugiant, seu quarum nullæ omnino notiones in mentibus nostris formatæ sint, se judicare ineptissimum; cum semper investigandum sit, quo usque Lumen ingenii penetrare possit. Ideo Emanuel Thes. propter stupiditatem alios corpora sine spiritu; alios propter subtilitatem spiritus sine corpore nominat. En necessariaim notitiam sui ipsius in studiis! quæ ex hac consideratione proficiscitur; Sine qua, uti ingenia præstantissima partim se ipfa sæpe negligunt, partim a parentibus negliguntur, ita ingenia stupidissima partim se ipfa ad studia cogunt, partim a parentibus non raro coguntur. Accedit, quod etiam sine hac notitia illi homines, qui subtiliter deprehendunt & judicant, facile his viribus abutantur, & sic reliquias imaginis divinæ seu rectam rationem pedibus quasi conculcent. Propter ignorantiam enim virium naturæ a DEO concessarum sive indolis virtuosæ & instinctus sæpe mirifici institutio & cultura postponitur; ut ut notitiam facultatum animi scepticismi & desidia remedium nuncupaverim: quo simul accidit, ut & lumen gratiæ parvi æstimetur, quo tamen ratio illuminatur, ita ut superior intelligentia & indagatio sperari possit; Spiritus quippe illuminationis sapienter ducit, excitat & admonet nos simul vocationis nostræ futuræ, cuius instinctum in animo sentimus; citra cuius operationem optima etiam ingenia sibi relicta corrumpuntur.

His

His præmissis, Terminorum aliqualem expositionem exhibeo: & cum mentionem Sortis eruditorum in Titulo fecerim, per Sortem non intelligo sortilegium, quale conspicuum est in duodecim Apostolis, Luc. VI. Matthia, Act. I. septem diaconis, Actor. VI. Paulo & Barnaba, Actor. XIII, ubi destinatio DEI, capacitatem ad preces largientis, illico evidens aderat; cum antea nullius apitudinis & sortis ejusmodi egregiæ participes fuissent: Sed partim electionem, destinationem & vocationem, respectu donorum, internam; partim profectus, maxime in Scholis & Academiis laudatos, donis hisce nitentes; partim actiones in functionibus præclaras, quæ aliorum conatus superant. Verbo: fatum & fortunam nonnullorum eruditorum a teneris ad senectutem usque præ aliis eximiam hoc Tractatu exposuerim. Anne experientia constat, quod quædam ingenia summa multorum admiratione non minus feliciter incipient, quam mirifico progressu, dotibus adjuti, procedant, ad quod præstandum alios videmus impares?

En sortem illorum mirificam! Dixi autem sortem eruditorum: Per hos non omnes & singuli; sed uti sortem comparete consideratam voluerim, ita eruditæ nonnulli intelliguntur, qui dona præ aliis præ se ferunt insigniter bona, & hisce felici successu provehuntur ad altiora, altaque mente laudatissima & profectibus inclytis per totam vitam inscripiunt dignissima.

N.B. Dum Eruditorum mentionem facio frequentem, notandum est, me non tantum loqui de eruditis regenitis, sed & irregenitis; non tantum de Protestantibus, sed & aliis variæ nationis & religionis; præsertim cum maxime naturalem potestatem & idoneitatem respexerim. De Bellarmino enim & Cornelio a Lapide &c. inter Papistas; de Grotio, Vatablo, Riveto &c. inter Reformatos æque encomii documenta atque de Protestantibus prodita sunt non postrema. Quis enim non vellet dicere, etiam heterodoxis & aliis irregenitis dona natura lia a DEO sæpe mirifica esse concessa, quibus mediæntibus stypenda opera edere potuerunt: hac in re digna sunt D. Joh. Fechtii verba, quæ leguntur in Dissertatione de verarum fa-

erarum in homine irregenito notitia, quæ ita sonant: *Datur notitia verbi ex scrutinio illius eum ipsum in finem, ut veritatem cœlestem inveniret ab homine inquisito &c.* Hic etiam cum B. Joh. Benedicto Carpzovio, Lipsiæ olim Doctore celeberrimo, distinxerim inter gratiam Spiritus Sancti inhabitantem & assistentem; quam distinctionem in Programmate quodam in tali materia adhibuit; Quod enim tanta opera inclyta perfecerint, non tam gratiæ inhabitanti quam adstanti adscribendum esse putat. Placet porro alia Fechtii verba hac in re allegare: *Inter præcipua Ministrorum irregeniti dona, per gratiarum (prævenientis, præparantis & operantis) choragium a Sp. S. accepta est divinorum mysteriorum & œconomiaæ salutis notitia, ex qua profluit peritia, & prudentia eadem populo proponendi;* nos addimus: Systemata scribendi. Hinc etiam multi errores, qui ex ratione minus regenita profluent, in iisdem observantur.

Quibus expositis, videbis Lector, nos tam de nostratis quam exteris; tam de Germanicis, quam eruditis aliarum atque aliarum nationum dissenserere instituisse. Sufficit enim nobis, ostendisse, eruditorum sortem esse diversissimam, aliasque præ aliis, studiis esse eminentiores. Postquam autem hæc notavi, sequitur nunc operis totius divisio. Ut autem Eruditorum tres ætates proponere sategi; ita etiam tres Sectiones hujus Libelli constituere animum induxi. Proinde I. Sectio agit de prima seu juvencia ætate; II. de secunda seu media ætate. III. de tertia seu ultima ætate. Ad hanc tertiam sive ultimam ætatem etiam virilia referto, cum non tam ætatis annos, quam ordinem studiorum & eorum incrementorum respexerim; adeo, ut etiam illi viri eruditii hic intelligi possint, qui, modo mediæ ætatis studia absolverint, jam vigesimo vel trigesimo ætatis anno egregia agunt. Divisione sic ob oculos Tibi, Lector, posita, exordior hunc parvulum Tractatum, & dum in tres dispescitur Sectiones, primam jam suscipio pertractandam. Tu interim Lector benebole, quicquid erroris videoas, candide velim explices, expendens, quod aliis laboribus distento, multoties hæc omnia repetere difficile fuerit. Valeas in Domino. E museo Illeburg. An. M DCC XII,

SECTIO

\*\* 5 \*\*

## SECTIO PRIMA.

De

### Sorte Eruditorum in ætate prima s. juvenca confœcta.

Sors Eruditorum jam eminet in ætate prima, ubi  
(α) diversam eamque insignem inclinationem,  
(β) divinitatem ingenii,  
(γ) cupiditatem insatiabilem

animadvertisimus: Ut vero pro ordine agatur, constituimus hujus  
sectionis tria capita,  
in primo agitur de diversa eaque insigni inclinatione,  
in secundo, de divinitate ingenii,  
in tertio, de cupiditate insatiabili.

### CAPUT PRIMUM de diversa eaque insigni inclinatione.

#### §. I.

**D**ixi sortem eruditorum jam conspicuum esse in ætate prima, ubi saepè diversa eaque insignis inclinatio elucideat; e cuius consideratione excitatio & directio divina omnino constare potest. Nam quemadmodum Dr. Schmidius Christ. Sap. discendi cupiditatem pueri, quam capite tertio exponere institui, non incommode internam ejus vocationem posse dici arbitratur; ita inclinationem maturam ejusmodi vocationem vocare non erubesco: adeo ut Sortis nomen divinitus concessæ optimo jure habere, & Lectori jucundissimam meditandi occasionem dare possit.

§. II. Antequam vero hujusce inclinationis expositio & per exempla illustratio fiat mentio, notandum venit, quid inclinatione, quid diversa, quidve insignis significet.

A 3

§. III.

Terminorum  
exponendo-  
rum sit men-  
sio.

Inclinatio ipsa  
persigna exter-  
na vario modo  
se exhibet.

§. III. Inclinatio, ut jam dixi, vocationem DEI quasi internam præsupponit; ita ut instinctus quidam in corde naturalis a Deo inditus per externa signa se vario modo exhibeat, quo DEUM hunc vel illum hominem ad id, ad quod inclinet, vocasse ostenditur: quapropter peculiarem Sortem nuncupare æquum judico. Vocationis nomen etiam exinde hæc inclinatio meretur, quia secundum Joh. Lockium mens pro virium natura hæret adeo defixa in rerum nonnullarum contemplatione, ut ideas illarum usque quaque verset, relationes & circumstantias observet, partesque singulas curiose adeo & attente speculetur, ut omnibus aliis cogitationibus aditum præcludat, nec animadvertis ea, quæ a sensibus tradita sint & impressa, quarum alio tempore sensum haberet acerrium.

Sensus incli-  
nationis eru-  
tur.

§. IV. Mens autem nostra non est, inclinationem propone-re eo sensu, quo sit in articulo de peccato; sed quo Scriverus (im Seelen-Schätz P. IV. Conc. VI. § 34.) eleganter scribit: Es haben die Menschen Kinder mancherley Gemüther und natürliche Zuneigungen. Der eine ist zu dieser, der ander zu jener Arbeit geneiget: Einige lassen bald in der Kindheit eine Zuneigung zu den Büchern bei ihnen spüren, sie fangen an, wenn sie mit andern spielen, zu predigen, zu regieren und zu gebieten: andere haben Lust Häuser zu bauen, Gärten zu pflanzen, Geld zu münzen, wenns gleich nur Scherben oder Nüben Schnitte sind.

Directio Dei  
conditoris  
prædicatori.

§. V. Hoc autem non fortuito accidit, sed efficax inde directio DEI perspicitur, qui omnium hominum corda inclinat eisque talenta a teneris distribuit, quibus cum tempore vel Ecclesiæ vel Reipublicæ &c. prodesse possint; hinc Lockius putat nostri præcipue officii esse, cognitionem istam investigare, quæ cum animorum facultatibus maximam cognationem habeat, in qua præcipua nostra sempiterna nempe vita sors versetur.

Adducitur Ex-  
emplum a pu-  
eritia ad stu-  
dia inclinantis  
Brentii.

§. VI. Utiautem animus non est, omnes omnium inclinationes proponendi, sed tantum Eruditorum; ita etiam, quomodo Eruditi hanc inclinationis vim in genere ostenderint, Exemplis illustrabo. De Johanne Brentio refertur, quod ad studia

dia fuerit natus, preinde etiam in tenera aetate statim ingenium in eo eluxerit, quod nil mediocre pollicitum est, facile arripiens omnia, quae a magistro tradita fuerunt.

§. VII. Scævola Sammarth. cuius vita descripta est a Gabriele Mich. Rupi-Malleo, non tantum se vernaculae Poeticæ <sup>Scævola Sammarthani,</sup> addixit, sed latinam quoque adjunxit, quo NB. ingenium utробique felix & foecundum naturali quodam ductu eum inclinavit: quod etiam cum paucis habuit commune, nempe Joachimo Bellajo, Johanne Passeratio, & Nicolao Rapino.

§. VIII. Ineunte aetate Jul. Budæi amici videntes ipsum Jul. Budæi, valde addictum studiis humanitatis ac literarum, abjecta cura rei familiaris vel tuenda vel amplificandæ quisque, omnibus modis eum avocare nitebantur, modo ignominiam, modo inopiam, si in instituto persisteret, exaggerantes: Pater vero, ubi tenacrem studiorum filium vidi, majorem cepit dolorem: timebat enim, ne filius jam ingenii laudibus efflorescens tempestate aliqua abriperetur, coquè magis, quod in decursu studiorum & illo adolescentia flexu videbatur prudens & sciens tanquam ad exilium ruere voluntarium, cum tamen in eo magnam dignitatis suæ & familia spem dudum collocasset. Itaque refrænare illum tanquam vehementiore ad literas studio concitatum, svadere, monere, aliis atque aliis occupationibus distinere, personarum etiam civilium, quas olim gesserat, unam imponere, quasi hoc incitamento honorum sententiâ abduci posset & erigi ad majora studebat: sed neque Patris authoritas, & cohortatio mentem mutare, neque honorum splendor alacritatem studiorum potuit reprimere. Quin imo, quanto Pater acrius instabat, tanto ille magis & laborem & industriam augebat. Postquam autem hæc inclinatio ad literas adeo effebuerat, ut nec indulgentius monendo, nec severius objurgando eam mitigare posset, nec saltem perficere, ut id, quod agebat, ageret temperatius, virum est tandem patri cum filio seorsim sic agere & loqui: *quid tibi vis, aut quid queris? quid hoc tempore omnes noctes & dies in istarum disciplinarum meditatione versaris? an me vivo conficies te vigi-*

vigiliis & laboribus? idcircone te tanta curā educavi, ut te in exercitium ultra præcipites? ut senectuti meae mœrorem & orbitatem afferres? Te enim intuens, qui es mihi charissimus, non possum non miseresceret uxoris fortis, quod insano literarum amore flagrans nec modum studio facias, nec finem laboris frixerit te natura ad humanitatem & doctrinam, ad eam te serius applicueris; an propterea festinandum tibi ita putabis, ut incuria corporis in morbum incidas? & negligentiarei familiaris jacturam patrimonii feras. Quanto satius esset, maiores tuos respicere, & illorum vestigia persequi, aut saltem, quando sententia stat, etatem in studiis agere, in his moderatius versari, imprimisque valetudini servire &c.

§.IX. Anne igitur evidenter hoc exemplo Gul. Budæi patescit, vocatione quasi interna ipsum fuisse motum & instinctu naturali satis ignito ornatum; adeo ut ad Sortem eruditorum jam in utero Adriani Pauli, matris fuisse destinatum intelligere non difficile sit. Quod & Adriani Pauli exemplum testatur, qui, cum post præmaturum parentum suorum obitum a tutoribus & cognatis ad mercaturā esset adhibitus discendam, ad lectionem & reelectionem eorum libellorum, quos ex schola secum attulerat, identidem recurrebat, & dolium Musarum potius, quam Mercurii versans, non sibi modo mercaturæ tedium lectitando fallebat; sed & alias tribules subinde ad se in granarium alliciebat, iisque ex loco altiori nunc prælegebat, nunc prælecta explicabat; ita ut veluti concionatoris vice apud eos fungeretur. Quod cum saepius eum factitare tutores & cognati audivissent; consultius tandem esse judicarunt, si id vita genus excolendum ei relinquarent, ad quod ipse NB. natura sua ferretur. Itaque ex granario in literarium lumen iterum missus, & deinceps in gymnasio patrio annis complusculis institutione & opera Viri & Poëtae eximii M. Henrici Mollerii Hessi usus: eo preceptore diligenter didicit initia doctrinæ Christianæ & artium dicendi, lingvarumque rudimenta. Proinde apparet, ideam non introduci quamlibet per sensus in mentem eorum, qui acumine naturali sunt prædicti; nam subtilibus natura assueti speculationibus rerum nobilissimarum ideas for-

formant, indagationem insigniorem instituunt & sic ~~reprobent~~  
laudem deportant.

§. X. De Wolfgango Franzio traditur, quod ad sublimioris vitæ genus divinæ providentia arcana præordinatus ab ipso adolescentiæ flore ad literas totum se converterit, inque iis brevi tempore miro fecerit progressus. Ille enim ad optima quæque amplectenda suopte ingenio, quo maxime præditus erat, humaniores omnes disciplinas alte imbibit.

Wolfgang.  
Franzii.

§. XI. En providentiam DEI exemplis prædictorum viorum maxime illustrem! qui inclinatione mirificâ donati omnia alia, ad quæ instinctus naturalis non dirigebatur a pueritiâ, negligebant: adeo ut cohortationibus concitari & moveri nullo modo potuerint. Tentaverint modo parentes aliquando filios suos ad mercaturam aliqua destinare; an propterea scopum suum obtinuere cum ipsis, qui naturale incitamentum senserunt ad studia? Hisce rebus patet, patrem etiam rusticum male agere, qui filium sèpe ad literaturam mirifice inclinan tem non obseruet: nam non minus in hominibus infimæ sortis, quam nobilioribus mentis vires & dona quam plurimum reperiuntur. Licet enim quis sortis appareat rusticæ, tamen negotii & officii ejus est perscrutari ingenium: hinc sicut singuli, prout Lockius exponit, peculiares sibi artes deligunt ad vitam sustentandam; ita hominum in genere (bonum suum perscrutari, quorum interest) officii est, circa morum cognitionem tanquam propriam scientiam versari.

Horum Exem-  
plorum appli-  
catio institui-  
tur.

§. XII. Cum jam pauca de inclinatione verba fecerim, Adjumenta & non possum non, quin adjiciam, quæ hanc inclinationem vel ad- impedimenta juvant vel impediunt.

inclinationis  
indicantur.

§. XIII. Adjuvat autem bona parentum educatio: Sic Est autem ad Josiæ Simleri parentes nullis neque laboribus neque sumptibus jumentum in- pepercerunt, quò ille bonis moribus literisque excultus Ecclesiæ, cui illum statim ab ortu suo consecraran, tandem aliquando signe, bona pa- rentum educa- tionis, ut exprimitur, modis inservire posset. Erant igitur ad liberalem hujusmodi filii sui educationem tanto promptiores & alacriores, quo NB. plura in suscipitur.

B

illo

illo adhuc puerō bonae indolis & ingenii signa elucebant. Intelligebant enim animum esse ad instar agri; quippe in quo neglecto & inculto spinæ, vepres &c. in culto autem fructus existere possent insignes. Educatio autem Parentum Christianorum, quæ inclinationem adjuvat, instituitur multis modis:

(a) devotis precibus, vid. I. Chron. 30. v. 19. I. Sam. 1. v. 28.

(b) bona institutione a primis pueritiae annis summe necessaria.

(c) multa humanitate & lenitate, nimia enim atrocitate optima corrumpuntur ingenia.

(d) paternâ saepe castigatione, Prov. 22. v. 15. & Proverb. 23. v. 13. 14.

hac autem castigatio maturetate suscipiatur, Syr. 30. v. II. 13.

(e) exemplari parentum vita.

(f) Christiana & sollicita inspectione.

Eiusmodi educationi decenter institutæ DEUS benedictionem promittit largissimam: Sic enim tacito instinctu propensi lumine simul gratiae crescunt.

§. XIV. Dixi etiam de impedimentis: Non exiguum quandoque est impedimentum domestica institutio, quando diutius in sinu & gremio foventur, id quod egregia indoli ejusque inclinationi maxime obest; quo saepe usu venit, ut liberi matrum præsternim nimis molli & delicata indulgentia corrumpantur. Ut taceam vitia naturam humanam corruptentia, v.g. crapulam, ebrietatem, libidinem &c. quæ malam educationem sequuntur, adeo ut gradatim optima etiam indoles perditioni dari possit.

§. XV. Ex hac tenus dictis liquet, Eruditorum quomodo se habeat inclinatio. Notanter autem adjeci diversa eaque insignis; nam summa admiratione animadvertisimus, eruditos non nullos in signiter inclinantes vel ad Theologiam, vel ad Jurisprudentiam, vel ad Medicinam, vel ad Poësin, vel ad Astronomiam, vel ad Mathesin; vel etiam ad hanc & illam disciplinam, artem & facultatem.

Impedimentorum itidem variorum fit  
mentio.

Inclinatio ha-  
ctenus exposi-  
ta dicitur di-  
versa eaque  
insignis, respe-  
ctu objecto-

facultatem simul; ita ut in uno eodemque subjecto appetitus  
sæpe mirificus non unam tantum, sed & plures addiscendi disci-  
plinas, artes & facultates se exerat.

§. XVI. Ad Theologiam seu studium Theologicum qui-  
dam adeo jam in primis annis fuere proni, ut etiam alias,  
quas didicere postmodum facultates, dimiserint. Wolfgangus  
Fabricius Capito a studio Theologiæ, cui se primum dederat,  
ab illo a patre avocatus, ad Medicinam animum appulit: tan-  
tosque in ea fecit progressus, ut circa annum Christi 1498. sum-  
mis ejus scientiaæ insignibus fuerit donatus, doctorque solenni  
Academiarum more declaratus: Defuncto autem patre, quod  
mirandum, incitante illum ad Theologicum studium inclina-  
tione in primâ pueritia jam cognita, ad id firmo proposito sese  
retulit, summumque ejusdem ~~æt*er*na~~ consecutus Anno Christi  
1504. Dein Friburgæ in Brisgoja scholasticam Theologiam at-  
que stoicas subtilitates est professus: sed paulo post earum per-  
tensus, utpote subtilitatis multum, utilitatis parum continentium  
sacris initiatu*s* est.

§. XVII. Necminus e documentis historicis patet, quod  
ali adeo ad studium Theologicum inclinaverint, ut etiam gene-  
ris splendorem dimiserint; Exemplo sunt Matthias Hoe ab  
Hoheneck & Jacobus Wellerus a Molsdorff. Prior equidem  
Vienna Austriaca natus fuit, instinctu tamen, sine dubio divino,  
ad loca evangeliæ alegatus fuit; ubi juvenis optimus præ ca-  
teris disciplinis, raro nobilium exemplo, Theologiam sibi ele-  
git: hic est, qui postea incomparabilis Doctor creatus fuit: cu-  
jus functiones & scripta sunt inclyta, utpote qui primo Plaviensi  
Ephoriæ admotus, postmodum supremus Concionator & Con-  
siliarius Ecclesiæ Saxon. constitutus fuit. Posterior autem, nem-  
pe Wellerus a Molsdorff, non tam ex illustri, quam splendore  
desinente stirpe divinitus vocatus fuit. Nam e vetustissima &  
arte non minus, quam Marte nobilissima Wellerorum de Mols-  
dorff familiæ traxit originem, quæ apud Thuringos orta, Misniæ  
postea illata, temporis vero injuria tantopere fuit obscurata, ut

Exemplum  
Wolfgangi Fa-  
bricii Cap. ad  
Studium The-  
ologicum ma-  
xime inclina-  
tis.

Exempla  
Matth. Hoe ab  
Hoheneck &  
Jacobi Welleri  
a Molsdorff,  
qui ob mirifi-  
cam ad studi-  
um Theologi-  
cum inclina-  
tionem gene-  
ris splendorem  
postoluere.

Hoc non præsente evanisset. Ostendit autem hic instinctum divinum ad studium Theologicum, dum sub ipsis statim ætatis primordiis egregia pietatis & virtutum specimina edebat; Hic ille Wellerus fuit, qui in Academia Wittebergensi postmodum paupertate pressus hunc favorem consecutus est, ut post Adjuncti Philosophiae functionem, Sanctæ etiam lingvæ ordinarius, Theologiae vero extraordinarius Professor fuerit constitutus: in qua functione se docendo pure, explicando docte, disputando accurate, respondendo solide laudabilem gesit, usque dum post multas vocationes tandem Dresdæ concionator primarius Aulicus evasit.

**E**dictis constat, DE BUM nullum ingeniorum agnoscere discrimen; adeo ut Imperatores, Reges, Principes, Comites, Barones, Nobiles steiniatis & generis splendorem objicere nequeant, quin a Deo saepe singulariter vocentur, quod olim frequenter accidit: & honorum insignia dum id plerumque impediunt, contingit nonnunquam, ut ad miseriam & paupertatem exemplo Welleri devenant; in quo statu instinctus divinis liberius se manifestare solet. Et cur haec locum non inveniant in piis præsertim christianis? dicit enim Paulus: Non est Iudeus neque Græcus; non est servus neque liber; non est masculus ac foemina: omnes enim vos unus estis (*εἰ εἰστε*) in Christo JEsu, Gal.3,28. Proinde corpus Christi mysticum idque unum sumus, in quo membra uno spiritu & excitantur & ducuntur. Hinc facile fieri potest, ut instinctus naturalis lumine gratiae accedente eo facilius ad studium Theologicum se referat; Spiritus enim gratiae degentes etiam in cœtu heterodoxorum revocat ad vocationem DEI internam, & instinctus divini eosdem admonet, ut clarissimum Matthiae ab Hoheneck Exemplum testatur, qui instinctu divino duxitus præ ceteris Theologiam elegit.

Multa adhuc  
aliorum ex-  
empla, priora,

**§. XIX.** Ex hörum instinctu & inclinatione probari potest, DEUM generis humani autorem nullum ingeniorum agnoscere discrimen; adeo ut Imperatores, Reges, Principes, Comites, Barones, Nobiles steiniatis & generis splendorem objicere nequeant, quin a Deo saepe singulariter vocentur, quod olim frequenter accidit: & honorum insignia dum id plerumque impediunt, contingit nonnunquam, ut ad miseriam & paupertatem exemplo Welleri devenant; in quo statu instinctus divinis liberius se manifestare solet. Et cur haec locum non inveniant in piis præsertim christianis? dicit enim Paulus: Non est Iudeus neque Græcus; non est servus neque liber; non est masculus ac foemina: omnes enim vos unus estis (*εἰ εἰστε*) in Christo JEsu, Gal.3,28. Proinde corpus Christi mysticum idque unum sumus, in quo membra uno spiritu & excitantur & ducuntur. Hinc facile fieri potest, ut instinctus naturalis lumine gratiae accedente eo facilius ad studium Theologicum se referat; Spiritus enim gratiae degentes etiam in cœtu heterodoxorum revocat ad vocationem DEI internam, & instinctus divini eosdem admonet, ut clarissimum Matthiae ab Hoheneck Exemplum testatur, qui instinctu divino duxitus præ ceteris Theologiam elegit.

**§. XIX.** Multa adhuc alia Exempla docent ejusmodi instinctum ad studium Theologiae evidentem. Philippi Nicolai pa-

parentes videbant, ipsum puerum magna alacritate ad sacra inclinatione  
ferri, insequi paternos gressus ad Templum, & attente, quæ ibi ad Theologi-  
fierent, considerare, domum vero reversum pias repetere con-  
ciones, & nostra religionis representare ceremonias, de dictis  
Biblicis difficultibus differentes libenter audire: in moribus  
item nativam quandam notabant amabilitatem, quare filium  
hunc suum DEO oblatum præceptorum privatorum & publi-  
corum fidelitati diligentius commendarunt; quorum institu-  
tione tam docilem tamque capacem se præstítit, ut paucis an-  
nis non vota tantum, sed & spem illorum superarit. Hic fuit,  
qui postmodum Hamburgi ut alter Chrysostomus emi-  
cuit.

**§. XX.** De Henrico Höpfnero dicitur, quod ad coelestis Höpfneri &  
studii sublimitatem vel tacito instinctu vel divino quodam affla-  
tu propenderit; Nec minorem hac in re post se reliquit memo-  
riam David Rungius, qui ex studiis Theologicum, cui potissi-  
mum se dicarat, non tantum patris & unius fratris exemplo  
ductus, sed etiam NB. occulta <sup>egregia</sup> a Spiritu S. qui organo hoc  
in Ecclesia uti volebat, impulsus elegit. Et hoc est, quod antea  
dixi, instinctum naturale accidente lumine gratia pulcre se  
exhibere. Nam in pueris sapientia sœpe appetet egregia, ut  
parentes & alii in magnam ducantur admirationem. Idque  
efficit Spiritus Sanctus, qui operatur in iisdem, ostendens admini-  
strationi & officio aliquando præficiendos, Prov. 20.v. II. E-  
jusmodi dona Spiritus tam in Christo quam Johanne patebant  
clarissima. De illo extat Luc. 2. Puer succrescebat & corro-  
borabatur spiritu & implebatur sapientia, & gratia DEI erat  
super illum. De hoc: Puer crescebat & corroborabatur spi-  
ritu &c.

**§. XXI.** De Brochmando memoria proditur, quod in <sup>Brochmandi</sup> juventute itidem peculiari quodam animi instinctu & flagran-  
tia donatus fuerit; cuius scopum ad Theologiae studium fu-  
isse directum, omnes, quibus documenta de ipso sunt nota, pro-  
sitebuntur.

Joh. Ben. Car-  
povii.

§. XXII. Joh. Benedicti Carpzovii in arce Rochlensis Pa-  
tre Benedicto Carpzvio, J C T O celeberrimo, orti memoria in  
eo est clarissima, quod a puer divino quodam afflatu Theolo-  
giam sibi elegerit; a quo etiam sidera Ecclesiae & Academiarum  
in Saxonia ortum habentia haec tenus insigniter splenduere.

Joh. Gerhardi  
& Justi Feuer-  
bornii.

§. XXIII. Providentiam DEI circa Theologiae studium  
peculiarem declarant etiam Exempla Joh. Gerhardi & Justi Feu-  
erbornii. Ille enim gravissimo quodam morbo adolescentiae  
decimo quinto anno corruptus, de studio sacro cogitavit, & in-  
terno conscientiae stimulo excitatus ad studium Theologicum,  
a quo Medicinae amore captus jam diverti incepérat, regressus  
est. Quo admiranda sane Providentia DEI ostenditur; Hic  
enim Gerhardus Quedlinburgi genitus est patre viro patrio  
& consulari Bartholomaeo Gerhardo priscæ virtutis & antiqui  
candoris homine; matre Margaretha Brendesia, in cuius gravi-  
dæ alvo adhuc detentus puerulus maximo fuit expositus pericu-  
lo. Pater enim commoto irritatoque animo magni ponderis  
fustem in bibacem servum conjecturus, prægnantis maritæ, quæ  
ex improviso it obviam, corpus tam duriter petit, ut hoc jactu  
fetus tenelli jacturam omnes præfigirent. Enititur autem  
mater præter spem filiolum, sine ictus quidem indicio, non ta-  
men sine singularis fati præfigio, & illæsum. Hujus autem  
nempe Feuerbornii fata non minus notatu dignissima fuerunt,  
utpote qui parentum placito primos adolescentiae annos studio  
Juridico consecravit; sed divini studii amore jam in primis an-  
nis captus, forense dimisit, suoque exemplo præclare docuit, fa-  
to saepè mirabili ad studia sacra trahi eos, qui ad aliud vita genus  
a parentibus in prima juventute fuerunt adhibiti; imo fallere  
parentum judicium, qui animadvertisentes saepè filium e pluribus  
unum segniorem esse ingenio, & neque ad forensem strepitum,  
neque ad ullum civile vita genus idoneum fore credentes, Deo  
hunc consecrare & scholis addicere constituant; ita hic Justus  
divino nutu se totum ad Theosophiam composuit, & ad prisco-  
rum doctorum, Ambrosii, Chrysostomi, Minutii Felicis, Au-

gu.

gustini Philogonii, Evagrii allorumque exemplum a jure consultorum cœtu ad sacrum conversus est studium: idque tam feliciter postmodum excoluit, ut creato doctori nec sublimia forsitan cogitanti egregiæ in Giessena Academia provinciæ fuerint commissæ, professio nempe Theosophiæ publica & Ephoria Ecclesiæ.

Geminum igitur hoc exemplum omnino ostendit, quod nonnullis eruditis aptitudo & capacitas singulari providentia a Deo sit concessa. Notum enim est, Viros hosce stupenda in Ecclesia opera præstuisse, ad quæ a divino Numinе sine omni dubio fuere præparata. Erat equidem ipsorum tempore multa eruditorum copia; sed paucissimos hosce æquantes minus eruditio maxime Theologica superant inveneris.

§. XXIV. Patrum exempla nihilo secus indolem eruditorum declarare possunt mirificam. Sic Athanasi natura in primis pueritiae annis ipsum ad decus adeo impulit, ut cum aliis pueris ad mare ludum exercens arena eosdem tingeret: constitutus quosdam sacerdotes, quosdam diaconos; se ipsum Episcopum, quo luculentissime, ad quod impelleretur studium, qualisque futurus esset, demonstrabat. Pariter claruit a pueris Origenes; hic enim patris Leonidis Episcopi consilium de explanatione Scripturæ instituenda crebro petiit: ita ut pater præsidium ecclesiæ insigniter futurum in filio præviderit.

§. XXV. Quia autem in Theologia profectus sperantur exigui, nisi philologica adhibeantur: idcirco e providentia Dei experientia comprobata constat, multis temporibus viros extitisse theologos ad Philologiam optime inclinantes, cum dona præ aliis habuerint interpretandi NB. in juventute statim amore Philologiæ capti. Theatrum Theologorum velim spectes, an Ad philologiane superiora maxima secula ejusmodi viris Theologo-Philologis abundavere? quibus Deus prospexit ecclesiæ, Lutheri præfertim tempore, quo Scriptura erroribus Papistarum erat con-spicata. Hinc fontem purissimum in media nostra ecclesia expositione Lutheri aliorumque imprimis L. S. annotatorum

Patrum Exempla  
annectuntur.

accu-

accuratissima facta, videmus. Post Lutherum, Bone DEUS! quam insignes Philologi & interpres Scripturæ extiteré, in juventute a DEO jam excitati? Perlustra academias; quanta & quam acutissima scripta, quantæ & quam acutissimæ dissertationes Philologorum olim ibi compositæ fuerint, comperties, quæ hodierno tempore evanescere volunt; dum seculum vindetur ortum, quod magis vanitatibus quam studiis seriis est dedicatum. Et quanvis unus vel alter donis a divino Numine animo inditis gaudeat; quia tamen cultura cum pietate & precibus conjuncta deficit, dona ad interpretandum data in pueritia sapientiae perduntur & delentur; ut ut multam afferre posset utilitatem.

Theodoricus  
Hacspan, qui alios ad hoc studium inclinantes instigabat,

§. XXVI. Cum Theodoricus Hacspan optime nosset, Philologiam Theologiae, praesertim in arduo adversus Photinianos conflictu apprime necessariam esse, nil habuit antiquius, quam ut suos auditores ad Philologiam, ad quam ipse a pueris inclinabat, excolendam strenue excitaret, & clarissime demonstraret, qua ratione limpidis Sacrae Philologiae fontibus latissimi Theologiae campi possent irrigari, hinc dicebat: *Hæc demum vera mens eorum, qui ad religionem moderandam Philologiae requirunt subsidium.* Quapropter magnorum Philologorum Helvici, Tarnovii, Glassii, Amamae probavit consilia & instituta laudabiliter est secutus.

Hujus querela,

§. XXVII. Querela ejus memorata est dignissima: *Dudum male audiunt Philologi, quod magis Paganismo, quam illustrandas christianorum sacris auctorati sunt.* Plautus Petronius & similes nequitiarum magistri etatem occupant, sanctiores literæ extra censum sunt. Amemus has amicitates, sed sapientiae causa, cui debentur, nec similes simus medicis, qui canem aut equum curant, hominem negligunt.

Sal. Glassius.

§. XXIX. Mentione Philologorum variorum jam facta ulterioris illustrationis causa Sal. Glassium adjiciam, cuius inclinatio ad philologiam & ipsam laudatissimam culturam in propatulo eminet. Hicce Glassius virtute sua grataque congenita in

in juventute non commilitonum solum omnium, sed & Preceptorum & Professorum Jenensium oculos & animos in se unice convertit. Cujusmodi donis adjutus postea Magister artium creatus præter crebra exercitia disputatoria institutionem in Sacra Philolog. quam calidè tractaverat, cum studiosis aliis sedulo inter privatos parietes, nec solum in Hebraicis, sed & Chaldaicis & Syriacis literis, in quas ardor singularis jam puerum incesserat, industriam occupare, rabinorum vestigare placita, in masoram, ingeniosum illud inventum penetrare, ad utriusque Talmudis lectionem gradum sibi sternere constituit. Proinde etiam factum, ut Hebræ & Græcæ lingvarum professor Jenæ fuerit constitutus: utpote qui postmodum Jenæ Gotham ad Superintendentis munus evocatus fuit.

§. XXIX. Exinde patet in Philologis omnino capacitatem naturalem requiri, quæ dein cultura pietate conjuncta & Spiritus Sancti lumine magis magisque ingeniosa redditur. Huc per Capitula Philologorum Spiritus Sancti lumine magis magisque ingeniosa redditur: hac in re dictum Apostolicum adducitur.

tinent verba Scripturæ. Cor. 12. divisiones donorum sunt, sed idem spiritus, & divisiones ministeriorum sunt, sed idem dominus, & divisiones operationum sunt, sed idem est DEUS, efficiens omnia in omnibus. Unicuique vero datur manifestatio spiritus ad id, quod expedit. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientia; alii vero sermo scientia, secundum eundem spiritum: alii vero fides, per eundem spiritum: alii vero dona sanationum per eundem spiritum: alii vero efficacie potentiarum, alii vero prophetia: alii vero discretiones spirituum, alii vero NB. genera lingvarum, alii vero interpretatio lingvarum. Sed omnia haec efficit unus ille & idem Spiritus, NB. εἰσῆντες οὐδὲν πάντως, καθὼς βέλεται.

§. XXX. Apostolica hæc expositio demonstrat dona DEI in viris sanctis pereximia; ubi, quin DEUS cum Spiritu S. viribus se ad ingenium cujusque accommodaverit, non est dubitandum: patet enim ex hac partitione, non omnes ad omnia fuisse aptos, sed alium ad hanc, alium ad illam virtutem fuisse propensum: ita ut ad inclinationem animi cujusdam DEUM re-

spexisse non negaverim, v. g. vidit DEUS hujus vel illius ingenii instinctum ad lingvarum expositionem flagrantissimum, utpote quod sic exornavit; id & statim elegit vas in ecclesia sua præstantissimum, quod postmodum magis magisque Spiritu Sancto illuminans ad Scripturæ interpretationem destinavit illustrissimam.

*Illustratio su-*  
periorum per  
exempla & qui-  
dem Johannis  
Schmidii.

§. XXXI. Quapropter multi ad Philologiam non inepti, qui hoc recte pensarunt, insignem hujuscæ studii habuerunt rationem. De Johanne Schmidio refertur, quod robustior factus saluberrima Philosophia pariter ac NB, Philologiæ studia mira industria excoluerit, binisque hisce veluti alis instructus ad sublimem & munitissimam sanctæ civitatis arcem facilius evolaverit.

*Johannis Hen-*  
rici Ursini.

§. XXXII. Pari modo Johannes Henricus Ursinus laudabilis conatu juventutis excitavit studia, & proprio edictus exemplo, quantum sibi profuerit, licet re cassum, Philologiæ nomen, humanitatis & Philologiæ summam utilitatem commendare necessum æstimavit.

*Circa inclina-*  
tionem ad Ju-  
risprudenti-  
am & Medi-  
cina-

§. XXXIII. Hactenus de inclinatione ad studium Theologiae & simul Philologiæ, in quantum Theologi interest. Quod ad inclinationem ad Jurisprudentiam & Medicinam attinet; nam provocatur ad Experimentum: qua documenta non exigua eorum patescunt, qui indole egregia vel ad Jurisprudentiæ vel ad Medicinæ studium; vel ad utrumque simul in commodum publicum condecorati a DEO fuere & adhuc condecorantur.

*Inclinationem*  
ad Poësin satis  
ad ostendunt va-  
ria de hac ma-  
teria conciri-  
ptæ dissolutio-  
nes.

§. XXXIV. Neque inclinationis ad Poësin per exempla illustrationem instituere necessarium judico; cum Domini Neu-meisteri aliorumque dissertationes id perficiant. Cæterum nullum credo fore, qui Poëtas nasci ignoret: qua sententia optima

*Inclinationem*  
ad studium A-  
stronomicum

§. XXXV. Instinctum autem ad Astronomiæ studium natüralem, cum sape signis externis prodeat mirificis, liceat unico Tycho de Brahe infans adhuc

huc humeris gestatus manus semper extendebat ad stellas: ro- illustrem pro-  
bustior autem factus, ubi ludere incipiebat, cretā pingebat in bat exemplum  
mensis, scannis & parietibus stellas: proinde astronomum Tych. de Bra-  
fore celeberrimum colligere non difficile erat.

§. XXXVI. Qua ratione tandem nonnulli præ aliis ad stu- Inclinatio ad  
dium mathematicum inclinent, docet itidem miranda sæpe studium ma-  
indoles, quæ cognitione, ratiocinatione, memoria, recordatio- thematicum  
ne & judicio gaudet insigniori; cum igitur fieri ea cerebri ope probatur  
(æ) ex certis  
mediante inclyta indole certissimum sit, cogitemus cerebri animi viri-  
substantiam, quæ sedes est divinæ lucis & divinarum actionum, bus, quas sæpe  
cognatam esse coelesti naturæ, in quam etiam undique sparsam animadverti-  
mus præcla-  
esse lucem videmus.

§. XXXVII. Illustre Specimen nobis inter alia sistit E- (§) Exemplo  
rasmus Schmidius, qui in græcis autoribns evolvendis, & eru- Erasmi inter  
dito mathematicorum pulvere tractando posuit operam, ut alia ad hoc  
fatali quadam destinatione ad græcam lingvam & studium ma- studium ma-  
themeticum natum fuisse multi crediderint. xime incli-  
nantis.

§. XXXIX. Quod autem ad hanc vel illam disciplinam, Ad hanc vel  
& facultatem nonnulli simul inclinent, ita ut in uno eo. illam discipli-  
demque subiecto appetitus sæpe mirificus non unam tantum, nam &c. simul  
sed & plures addiscendi disciplinas, artes & facultates se exerat, nonnullios  
variis exemplis doceri potest. Hinc istam ad universalia prop- summa laude  
pensionem græcus Topicorum interpres, qui Alexander A- inclinare cla-  
phrodisiensis vulgo habetur in L. 8. vocat ἐν φυσικῶν ὁλῶν. Id opti-  
me fieri, sed male tamen illud esse judicat Morhofius: quod  
postponat pensioni ad certam disciplinam: qua in re tam- nōnūlios  
en pergit, ὑπόλυτον sibi Huartum habet, qui in scrutinio illo  
suo ingeniorum unum hominem ad unam disciplinam habere  
pensionem naturalem existimat: cum tamen & ratio ipsa,  
totque exempla præclarissimorum virorum ostendant, posse  
dari tales, qui NB. ad omnes artes ex aequo excolendas pari  
fuerunt ingenio.

§. XXXIX. Exemplo nobis est Morhofius ipse, qui refe- Imprimis ex-  
rente Moëllero Theologus, Jurisconsultus, Medicus, Philoso- emplo Mor-  
phus,

plus, Mathematicus, Orator, Poëta, Antiquarius & Historicus fuit. (Ad hæc omnia descendit in primis pueritiae annis inclinavit.) Quo de cumulo disciplinarum & facultatum non dubitandum esse jubent Scripta Morhofiana, quæ etiam hic Scriptor respexit.

## CAP. II. De divinitate ingenii.

**E**is, quæ ad explicationem & illustrationem inclinationis sæpe mirifice fecere, hactenus propositis; jam divinitatem ingenii docebo: argumentis cujusque §. in margine itidem ponendis.

Ingenii divini  
explicatio,

§. I. Divinitate ingenii pertractanda, ob oculos pono divinum ingenium, quo eruditus alterum jam in primis pueritiae annis antecedit; quod gratiam viresque DEI indicat, quibus homines interius quasi vocat: inest enim in ejusmodi hominibus sec. Morhof. Cap. I. de Polymathia ἀρχὴ πρὸς τάπτα μαθητὰ, qualis ingenio magno convenit, & quale nobis Plato Lib. III. de rep. describit: *Est animorum nostrorum, si ita loqui licet, ψυχή, quo illi vel per naturam vel affectionem apti sunt multa simul complecti, abstrahere a singularibus, seque ab humili statu in sublimem perducere.* Itaque pergit prædictus Morhof. exerit se in illo, quod ἀγχιτενεῖον appellare possumus, aut ex Stoicorum disciplina τὸ ινευονίον, regio quasi spiritu & fulminis instar omnia penetrans & sua quadam luce omnia perlustrans.

Hujus illu-  
stratio per ex-  
empla

§. II. Talia inter eruditos ingenia jam in juventute excellenti virtute dari prædicta experimento constat: quod non tantum facies eruditorum hodierna ostendit, sed & superiora aurea secula, imo & antiqua id prædicant. De Johanne Georgio Dorschæo constat, quod mature e puerò eminuerit in ipso præclarum ingenium memoria excellens, discendi vehemens ardor,

Johannis Ge-  
orgii Dor-  
schæi.

ardor, animus denique ad summa quæque natus. Similis imo  
ferme major in Joh. Conrad. Danhauero emicuit indoles, quæ Johannis Con-  
inter alia e stylo apparet maxime ingenioso & nervoso; quibus <sup>rad.</sup> Danhau-  
enim rebus alii multas paginas replevere, easdem ille pancissi-  
mis lineis inclusit. Pondus enim majestatis summæ stylus ejus  
habebat: & quod Pytheas de Demosthenicis orationibus dixit,  
lucernam olebat, plusque indigitabat, quam dicebat. Non mi-  
noris estimationis fuisse Gulielmum Wainfl. refert Bat. verba <sup>Gulielmi</sup>  
ejus fluunt ita: *Animus illius prægessiebat utcunque tenui for-*  
*tas in re, luculentum aliquod magnificenciam sua documentum*  
*hominibus ostendere, quumque facultates non admodum suppe-*  
*terent, subsidio sibi diligentiam & laborem comparare, quibus*  
*prodeſſe quam plurimiſ posſet.* Quam multos videmus in opti-  
mo ingenii flore pereentes, utpote qui forte adminiculis desti-  
tuuntur. Aequavit sane indole Gulielmum Hieronymus Savo-  
narola, cuius intellectus in primis jam annis perspicax, solertia  
perrara & judicium eximum, quod in veritatem ipsam sua na-  
tura ferebatur. Et quid dicam de Erasmo, de quo Cl. Beatus  
Rhenanus in praefatione ad Carol. V. Cæsarem ita loquitur: *Va-*  
*lebat stylo arguto, extemporali, ameno, terso & feliciter fluen-*  
*te, quem asidua juventis adhuc exercitatione sibi paraverat:*  
*nec NB. minus judicio valebat, quod habebat longe acerrimum.*  
*Hoc doctri in eo præcipue sunt admirati: miraculo autem, per-*  
*git, simile videatur, exactum adeo judicium seculo tam rudi:*  
*felicitati rare perspicacissimi ingenii ferendum magis acceptum,*  
*quam ullis præceptoribus, simitos illos magistros excipias.* Laus  
Pinelli magis magisque propter indolem aucta fuit; nam Pau-  
lus Manutius anno M D LXVI. Octavio Sanmarco gratu- <sup>Epist. 16. Lib. 2.</sup>  
latur, quod se Patavium studiorum gratia contulerit & amici-  
tiam cum Pinello iniverit: Verba extant talia: *de Joh. Vin-*  
*centii Pinelli consuetudine nil dico, non enim dubito, quin ipse*  
*jam perspexeris, que sint in illo juvēne virtutes, queque probi-*  
*tas, que humanitas: ut omni dignissimus sit honore, qui tamen*  
*ab omni honorum dignitate, sola virtute contentus, longissime*

distat &c. Gloriosum omnino ducitur, amicitiam colere cum iis,  
 qui ingenii perspicacissimi ornati florescunt. Veniamus ad  
 Exemplum Scævolæ Sammarthani, de quo in vita ipsius per Ga-  
 brielem Michael. Rupi - malletum in Senatu advocateum descri-  
 pta, hæc extant: Scævolæ Sammarthanus exemplis domesticis exci-  
 tatus, quasi face quadam prælucente viamque monstrante virtutis  
 & prælustrium actionum, protinus spem sui ingentem & testimonia  
 generosæ indolis non obscura prodidit: qua indole postmodum pro-  
 gressum fecit in literis admirabilem, maxime quidem in academia  
 Parisiensi, ubi clarissimi viri, qui doctrinam & secundum omnem  
 Græcam & latinam penitus hausisse videbantur, Adrianus, Turne-  
 bus, M. Antonius Muretus & Petrus Ramus, liquidos fontes elo-  
 quentiae & poëticas ipsi aperuerunt: adeo ut hoc novellum germen  
 istiusmodi manibus irrigatum quotidie cresceret, unde suo tempore  
 sberandi essent & suavissimi flores & postea etiam fructus gratissimi,  
 quos non Gallia solum, sed & externæ quoque regiones cum stupore  
 degulstarent. Divinitas ingenii hujuscet tanta fuit, ut & eandem  
 æstimaverit Duarenus; cum enim a Pictavio se reciperet in ur-  
 bem Biturgum ad studia continuanda, ibi præceptorem sibi  
 elegit Duarenus: hic qui divinas ipsius dotes statim cognovit,  
 his ornatum insigniter dilexit, ominans, Galliam de ortu ipsius  
 gavisuram; cui nempe natura ea omnia indiderat, quæ aliis ex  
 arte & industria proficiisci solent. Nam præceptoribus omni-  
 no jucundissimum est, eos disciplinæ alumnos habere, qui in-  
 dole præclari spem faciunt futuram. Dulcisissimum sane est  
 ejusmodi exempla meditari, quæ dona naturæ excellentia de-  
 clarant. Talia etiam prædicantur de Julio Cæsare, in cuius vi-  
 ta a Leone Allatio descripta sequentia verba leguntur: Ipse  
 Julius omnium natu minimus, cum in patria grammaticæ & huma-  
 nioribus literis vivaci ingenio tenacissimâque memoriâ feliciter  
 operam dedisset, undecimo etatis anno ad majorum nobiliorumque  
 disciplinarum studia capescenda invito patruo Hieronymo Langella,  
 sacerdote frugi, in cuius turelatum ipse, tum fratres post parentum  
 obitum erant, Neapolim profectus est, maximis inde conatibus, ve-  
 be-

Julii Cæsaris,

bementissimoque animi ardore a Julio Stillabota Augustinianæ familie ex eodem oppido Padulæ tyrocinia logices exceptit : a quo postmodum veluti ad majora subsellia transiens, sub Francisci Antonii Vivoli Neapolitanæ disciplina Aristotelicæ Logices præcepta hauxit & peripatetica Philosophia rudimenta decerpit ; post que apud Bernardinum Longum in Philosophia arcanis delibandis, percipiendisve multis annis assidius curam & operam collocavit, ita ut NB. quantumvis adolescens adhuc esset, gratus inter omnes condiscipulos haberetur, & judicaretur apud eundem præceptorem & vegeto & maturo ingenio prædictus non sine aliorum labore atque inadvertia. Omni laude ornatur Urbanus Regius, quod ejus <sup>Urbanus Regii,</sup> animus tenellus in ludo Lindaviensi literario præceptorum industria ita potuerit excoli, ut instar arbusculæ fructuum cum temporis incremento percipiendorum spem jucundam de se præbuerit : ratio hæc fuit, quoniam in uno pariter decertaverit rarum ingenium, incomparabilis memoria, & excellens iudicium, in quo exornando utraque vicit ars & natura. Vix etiam credi potest, quam insignia a primis pueritiae annis egregiae in dolis & eminentis spiritus documenta ediderit Hugo Crotius, <sup>Hugonis Cro-</sup>  
<sup>tii,</sup> qui a parente erudito optime observatus ante septimum aetatis annum in scholis tam egregie profecit, ut ante nonum vi-  
tæ annum carmina pangere incepit : qua indole in ju-  
ventutis annis jam conspicua nifus per omnem suam æta-  
tem egregia egit, nam ante duodecimum annum in aca-  
demiam Lugduno-Batavam deductus non minus Philoso-  
phia, Astrologia, & Mathefeos, quam Theologia & Jurispru-  
dentia tam insignem rationem habuit, ut tribus annis ibidem  
transactis, omnibus his suis studiis ad finem deductis, vix quin-  
decennis in comitatum illustrissimi viri Joannis Oldenbarne-  
veldii Reipublicæ Hollandiæ adfessoris, & ad invictissimum  
tunc Principem Henricum Magnum Legati in Galliam profi-  
cientis se dederit. Ibi gradum in jure consecutus & ab Au-  
gustissimo Rege non torque tantum aurea, sed & effigie regia,  
ob incomparabilem in ista ætate eruditissimam donatus ingen-  
tem

tem estimationem de se reliquit. In patriam reversus forensibus se applicuit: ante decimum septimum aetatis annum causas publice egit, & ante vigesimum quartum ad Fisci Advocacionem ab Hollandiae & Zelandiae ordinibus vocatus est; Ex his patet, huncce Grotium ad altiora natum fuisse. Divinissima sa-  
ne spirabat, divinissima adspirabat; quæ vis ingenii ejus rarissima omnes in admirationem ducebatur: nam sit, ut non nunquam eminentia nonnullorum eluceat, quæ tamen annis pluri-  
mis successivis demum amplior redditur: hujus tamen indolis pulcre emens citius & maturius crevit. O stupendam  
ingenii præstantiam, qua præ aliis omnibus jam a teneris excellebat; animus igneus testabatur de donis DEI igneis, quibus ornatius hic erat. Capiebat insigni intellectu; intelligebat felici captu, disciplinis propositis inflammatus. Gulielmi Cambdeni memoria indolis, commemoratione vita ejus per Degor. Wheare facta videtur ibidem illustrissima: Degorei Wh. verba ad hanc rem facientia ita sonant: *Nec adeo gloria vacuus hic noster, ei ut honos ex locorum generisve splendorē addisendus sit: longe majora prædicaturi sumus inter ipsum nata & quæ fecerit ipse.* Eum pater a primis incunabulis rei literarie destinavit, cuius prima feminæ, sub magistro, nescio, quo in Padotrophio illo amplissimo imbibit, inde scholam Coletianam ad Div. Paul. statim petuit, ubi præclaræ indolis puer tantos in literatura brevi fecit progressus, ut ipsa parentum vota facillime preverteret, omnes, quibusunque notus, in amorem sui invitaret, plerisque etiam admirationi esset; postea adolescens factus quindecim annorum Oxonium ad uberiorem ingenii cultum & humaniores disciplinas venit perdescendas; ubi tyrocinium primum exegit & logices rudimenta celerrime depositus inter Magdalenses, ut omnes mirarentur. E nostris non minus encomium meretur Martinus Lutherus, cuius ingenium dona divinissima ostendebat. Pater ipsius Joh. Lutherus cupiditate filii ductus, eum parvulum sœpe gestavit in ludum Georgii Amilii. Cum autem ingressus esset annum decimum quartum,

Gulielmi  
Cambdeni,

Martini Lu-  
theri.

tum, una cum Joh. Reineckio, Magdeburgum ob insigne ingenium missus est: Magdeburgi, ubi mendicato pane vivere coactus, annum unum tantum consumsit, inde nutu parentum Isenacum, ubi schola florebat celebris, se recepit, ibi grammaticum studium absoluturus, quod & feliciter effecit: cumque NB. & vis ingenii acerrima esset, ex inopinato præ æqualibus eminuit & verbis & copia sermonis in loquendo, in scribenda solutæ oratione & in carminibus cæteros adolescentes suos conscipulos præclare vicit. Dulcedine literarum motus natura flagrante cupiditate discendi Academiam affectavit, ubi tanta vi sua ingenii omnes artes percepisset, si modo præceptoribus non caruisset idoneis. Postea Erfordiam veniens incidit in ejus ætatis Dialecticen satis spinosam, quam cum sagacitate ingenii satius, quam cæteri, perciperet, cito arripuit. Nonne indolem optimum Deum largitum fuisse huic Viro ad expedendum cum tempore in Ecclesia sua opus arduum, clarissime patet? Acrimonia ingenii ipsi congenita effecit, ut dignitate, honoribus, sapientia & doctrina inclytis postmodum præstiterit Theologis: quapropter directoris tempore reformationis munia summa laude administravit. Non mirandum inde, nonnullos citius academias petere, qui nempe bona indole & rara industria exemplo Lutheri sunt conspicui: compensat enim felicitas ingenii annos alioquin desiderandos. Sic Zacha-  
rias Ursinus, posteaquam puer ad scholam accesit patriam, statim indolem exhibuit excellentem & commilitones indolis claritate antevertit: mox in iis literis, quibus ætas puerilis institui solet, pro ingenii sui facultate divinissima, eos progressus fecit, ut anno decimo quinto ætatis elegantis carminis non minus, quam solutæ orationis scriptione, summis scholæ præsidibus, Ambrosio Moibano & Johanni Morenbergio suam diligentiam probaverit, & anno sequenti decimo sexto Academiam Wittebergensem appetiverit: ubi nemo dicere potuit: hic Ursinus maturius studia ingressus est academica; quia naturæ tam inclytis donis coronata fuit adjutus. Naturæ præsidium

D

succ-

Theodor. succurrebat etiam Theodorico Schnephi, qui Stutgardia adol-  
 Schnephi, flescentes ingenii dotibus præclarissimos habebat, sed superior  
 omnibus indole evasit: videbant enim omnes, qualis esset fu-  
 turus: locum aliquem concendens editorem, ex eo tanquam  
 cathedra condiscipulos suos multa alacritate ad instar Professo-  
 ris docebat; jam domesticos ex eodem tanquam suggestu, ut  
 Concionator, sic informabat, quasi esset & ætate major, & in-  
 Joh. Wigandi, structior. Sic & in vita Johannis Wigandi memoratur, quod  
 tanta fuerit in ipso vis memoria, tanta in retinendo felicitas,  
 tantaque in percipiendo & cognoscendo ingenii acrimonia,  
 ut parentes & præceptores summæ eruditiois non dubiam  
 spem de eo conceperint & non dubitaverint, Wigandum ali-  
 quando eum futurum, qui posit τῷ Θεῷ κορυφὴ μάντος εἴπει, καὶ οὐ-  
 δέωπος ἐπιφελλ.

Joh. Gerhardi, consilia ferri videamus; quod de Joh. Gerhardo prædicatur.

Balth. Men- scribitur, quod tam mira in juventute valuerit ingenii felicitate,  
 zeri, ut in difficilioribus causis aliquid exquisitum, & cum paucis  
 commune attulerit. Et quemadmodum de Alexandro scri-  
 bunt Historici: etiam in puerο τὸ μεγαλόψυχον καὶ τὸ φιλότιμον  
 apparuisse, quæ virtutes relinquuntur principibus, modo sem-  
 per manerent in sphæra morali: ita in nonnullis eruditis sæpe  
 aliquid apparet, quod statui suo & moribus conveniens naturæ  
 ipsorum impressum est.

Indoles Chytrai in eo prædicatur a  
 pueritiae annis præstantissima, quod scribitur, ipsum puerum  
 ita cupide & celeriter velut ἐνθεσιασμῷ ad studia raptum omnia  
 facile percepisse. Hülsemanni, Geyeri, Carpzoviorum inge-  
 nia divinitus ignita hæc itidem de se insigniter probant; ut ta-  
 ceam incunabula mirifica Virorum jam prædictorum in inune-  
 re sequentium, qui vi donorum sibi a Deo inditorum præsi-  
 dum Ecclesiæ nostræ hoc tempore præstitum satis validum.

Præfigum & §. III. Divinitatem ingenii etiam sæpe præsagiant prodi-  
 significatio, gia ante ortum & in ortu conspicua. Sic in Sacro Codice ante,  
 in & post ortum Johannis Baptistæ varia signa se exeruere, quæ  
 suff.

sufficienter docuerunt, hunc ipsum ab initio Ecclesiæ N. T. præclarissimum lumen futurum. Possem itidem exemplum Jeremiæ in V. T. adducere, cuius vero indolis signa ante ortum non tam oculis hominum patuerunt, quam DEI, quorum Autor fuit. Johannem Picum Mirand. egregia indole & divinitate ingenii ornatum præfigivit prodigium haud parvum ante ipsius ortum notatum; visa enim est circularis flamma supra parentis matris cubiculum adstare, moxque evanescere, fortasse insinuans, orbiculari figuræ intellectus perfectione simillimum eum futurum, qui inter mortales eadem hora proderetur, & universo terræ globo excellentiâ nominis circumquaque celebrandum, cuius mens semper cœlestia instar ignis petitura esset, cujusque ignita eloquia flammatae menti consona DEUM totis viribus quandoque celebratura: sed statim obtutibus hominum, ut illa evanuit, occulenda.

Hæc & alia insolita signa veluti incunabula infantium eosdem ab aliorum cœtu nutu divino segregarunt, & summis rebus gerendis natos esse indicaverunt. Si modo non nunquam signa observare vellent parentes, quæ vel præcedunt vel subsequuntur, in talibus providentiam evidenter divinam admirandi occasionem haberent: quod tamen cùm negligatur, non mirum est, quod tot insignia pereant ingenia, quæ tamen patriæ prodere possent. Sed vñ illis parentibus, qui ejusmodi signa & indolem hisce indicatam fusque deque habent: directio enim DEI accurate ob oculos quotidie ponenda nec hæc negligere patitur.

§. IV. Divinæ indolis indicium etiam est, quando præ familiis suis sãpe eminent eruditæ; ita ut instar luminis inter easdem splendeant. De Polycapo Lysero refertur: adfuisse quidem in tota Lyserorum familia tanquam in semine amusitatam ad virtutem indolem, non cessasse illam a longo annorum decurso tempore viros de Ecclesia Christi bene meritos efferre: sed talem virtutem, qualis in Polycapo se extulit, vix ullius oculis esse acceptam.

D 2

§. V.

soeiliis ac se-  
qualibus ante-  
cellunt.

§. V. Cl. B. Rhenanus de Erasmo refert, quod ingenium ejus mox eluxerit, cum statim, quæ docta fuissent, percepisset, & fideliter retinueret, æquales suos omnes superans. Quod omnino veritati consentaneum est, nam erat tum inter eos, quos illic fratres vocant, non quidem monachos, sed contubernii ratione & vestitus simplicioris & uniformis convenientia monachis similis Joannes Sintheimius, vir probe literatus (testantur id Commentarii grammatici, quos edidit) magnum eo tempore nomen in Scholis Germaniæ consecutus: is delectatus Erasmi ingenio & profectu, nam cœnabitæ isti palliati quibusdam scholasticorum classibus præsunt, & publice docent, complexus aliquando puerum hinc verbis: Macte ingenio, Erasme, tu ad summum eruditionis fastigium olim pervenies, cui simul osculum dedit, ipsumque dimisit.

Profectum  
ingenii divini  
mirificorum  
prædicatio,

§. VI. Sæpe e mirificis profectibus appetet, quod dentur ingenia divinissima, quæ ab aliis superari non possunt. Facile hac in re mihi persuadeo, quod Gul. Budæ ingenium jam in juventute alios præcelluerit, quia nemo commilitonum ipsum industria & profectibus æquare potuit. Quod sæpe videmus; cum multi plurimos annos studiis destinare soleant, & tamen successu exiguo proficiant; alii e contra paucissimorum spatio stupenda facillimo negotio vi indolis expediant: ut adeo omnino necessum sit, selectum ingenii ante omnia instituere. Cupidi equidem parentes sunt sæpe nostri ducendi filios ad egregiam eruditionem, sed non raro intermittunt indolis scrutinium, quod maximopere commendat Morhofius C. I. de Polymathia: hinc inter alia prudenter scribit: *mediocribus ingenii, neque ad tam magna natis, autor potius esset, ut secum habent, neque ea sequantur, quæ adsequi per imbecillitatem suam nequeunt.* Meminerint illi, infeliciter cum gigantibus contendere pygmeos. Illa enim affectata, pergit, πολυμάθεια plerumque in inanem & stultam cedere loquacitatem soleret. Quapropter non tam horum, quam ingenio valentium mentionem hic facimus, utpote qui profectus ab indole dependentes mirificos brevi

brevi ostendunt. Sic & gloriosum ducitur, quod jam nominatus Budæus græca lingua neminem sui similem habuerit, nec habere suo tempore potuerit: Romam enim cum Christophorus Longolius doctissimis adhibitis præceptoribus quinquennium in Scriptoribus græcis legendis perseverasset, græce epistolam ad Budæum misit, jam tum sese homini arbitratus ad æquatum: cui Budæus concinne & accurate, referente Ludovico Rhedio, rescripsit, (quæ epistola etiam edita est) ut Longolum primum in admirationem summam adduceret, deinde, etiam in desperationem. Baisius quoque ejus epistolæ elegantia ita obstupuit, ut tum ingenue fateretur, multum adhuc superesse, quo progrederentur: & Longolium itendidem admonebat, vix illud perfici posse, quod tentarent. Quo circa Longolius, quamquam vir esset magni animi, tamen desperatione debilitatus noluit amplius in eo laborare, quod se assequi posse diffideret. Magna ergo Budæi laus fuit, quod a duobus excellentes ingenii juvenibus hisce studiis ardentibus & otio abundantibus ejus æmulatione incensis, eaque causa domo tam longinqua profectis, uberrimis præterea artibus ornatis, consuetudine, sententiis, voluntate consociatissimis omnibus & naturæ præsidii & fortunæ adjumentis ad discendum paratissimis, toto denique pectori ad laudem incumbentibus non potuerit anteverti.

S. VII. Ingenii autem divinitas non tantum in teneris Divini ingenii nota, sed & per totam vitam saepè conspicua est. (Quod tamen obiter notamus, quia hæc consideratio simul ad secundam & tertiam ætatem pertinet.) Nam vires ejusmodi naturales crebris exercitiis adjuvantur, imo magis magisque corroborantur, adeo ut per totum vitæ spatiū indoles quasi radiet & stupenda efficiat. De Petro Puteano (qui tandem Regi Galliæ a consiliis & bibliothecis constituebatur) Rigalius ita dicit: *Sic in otio neutiquam ignavo hujus juvenis (Puteani) vires idoneæ suppetebant sat agenti: Sic omnes omnium Imperiorum historias evolvit, unde, quæ ad proposita faceret, excepseret: erant ad manum libri, & præsto veterum chartarum suppellebæ, unde arcana temporis antea-*

acti paterent: summa sagacitas in indagandis & vestigandis, summa discernendi peritia, examinandis & persitandis iudicium jam perspectissimum. Tam clara juvenis indoles latere diu non potuit: illico fama propinquos & affines, quos habuit e præcipuis Literariorum magistratibus complures excivit: inde ad alios passim per vagata, confluavit amicorum copiam tanto paratu spectabilem, ut nemo jam in urbe virtutis aut eruditio[n]is gloria censeretur, qui Puteano illa jam ætate florentissimo non faveret, Scaligeri, Lipsii & ceterorum paternæ memoriae cultorum commendatione & observantia noris-simo. Ex hisce dictis indolem eruditorum quotundam non minus in primis pueritiae annis, quam per totam ætatem postmodum splendere patet; utpote que augmentis quotannis insignioribus ornatur.

Iudicium seu  
electio pru-  
dens divini in-  
genii, ut pars  
inclita.

§. VIII. Documentum naturæ & indolis egregium est iudicium & electio prudens; Wolfgangi Musculi indoles & non genii, ut pars vulgare ingenium patet inde: accidit enim, ut aliquando in monasterio sub tecto ædium confusam dissolutarum membranarum congeriem offenderet, ex qua aliquot Ciceronis opuscula & Ovidii omnia opera collegit; illis tunc usus est libris, imprimis Ovidio addictus propter poetices studium, quo inde a pueritia flagrabat, quod in ipso accendebat: adeo ut & noctu carmina somniaret, & de quacunque re obvia carmen conderet: unde brevitatum sibi scribendorum carminum apparatus comparavit, ut cum Ovidio dicere posset:

Sponte sua carmen numeros veniebat ad  
aptos,

Quicquid conabar dicere, versus erant.

Omnia igitur ea e tanto cumulo concinne eligebat, quæ inge-nio suo conveniebant poetices studio flagranti. Quam pluri-mi autem reperiantur, qui in pueritia nullum selectum insti-tuere possint, multis clarissimum est: adeo ut partem indolis divinae splendidam omnino aestimaverim, iudicium & electio-nem. Verba Henrici Valesii de Jacobo Sirmondo hac in re sunt

sunt memoratu dignissima, quæ ita sonant: *In illo Viro tanta  
judicij vis, quanta vix unquam in alio fuit: hancque propriam &  
præcipuam ejus dotem esse omnes consentiebanus.* Itaque cum ad  
maximum ingenium par judicij robur adjunxit, illudque longo  
usu ac diuturna meditatione confirmasset, non mirum videri debet,  
*si invictus hoc tandem modo Luctator evaserit.* Hic autem Scri-  
ptor Valeius Sirmondi juventutis acrimoniam maxime simul  
respxit. Modo provocabimus ad experientiam. Nonne in  
scholis & academiis vires animorum diversas, & sic etiam judi-  
cium diversum cognoscimus? Commoretur ibi aliquis talibus  
viribus minus valens viginti annos, non eo perveniet, quo aliis  
naturâ adjutus quinque annis non difficulter pervenire potuit,  
gaudens vi maxime judicij naturâ insita.

§. IX. Huic judicio nonnulli memoriam non putant postponendam; siquidem & ipse Morhofius vires animi in-  
signiores judicat judicium & memoriam: ast non ægre ferent id putantes, cùm ipsis præstantiam judicij tam exposuerim, quam accuratores memoria præferunt. Hoc etiam fundamen-  
tum in re habet; omnes enim orationes & sententiæ  
judicio refertæ pluris æstimantur, quam multis verbis & me-  
moria conscriptæ. Quamquam autem judicium prærogati-  
vum æstimamus, tamen memoriam partem itidem eximiā  
constituimus, quæ sape adeo fuit præclara, ut illa amplas sen-  
tentias, imo totos autores referre multi in primis jam annis  
potuerint, quod alii præstare non conati fuerunt. Gul. Budæus  
memoria tam felici in juventute jam fuit, ut ea, quæ semel in  
animo haſerant, nullo temporis spatio & longinquitate dele-  
rentur. Dicis: non videri indolis esse divinæ, memoria va-  
lere præstanti, cum vi artis mnemonicae mediantibus charac-  
teribus multa accurate apprehendi possint. Sed missis, quæ a  
Morhofio eruditæ hac in re dicta sunt, notandum esse arbitror,  
hanc artificialem memoriam non admodum diu durare; ut  
adeo ille modus memoriae multa tradendi sit felicissimus, qui  
bene-

Memoria di-  
vini ingenii  
pars itidem  
eximia,

beneficio naturæ & indolis, methodo insuper & ordine legitime observato, bene procedit.

Conspicua hac  
in re Dei pro-  
videntia, cum  
non minus  
hominum mi-  
litaris ordinis,  
quam opifi-  
cum aliorum  
que tenuimus, tit.)

§. X. Providentiam de divinis ingenii in omni homi-  
num genere admiramur: hinc etiam militarum exemplum  
ad studia pro indole insigni inclinantium habemus in Scalige-  
ro. (Qui patrem Benedictum Scaligerum habuit, utpote qui  
summae rei militari sub Rege Matthia gentili suo septendecim  
annos præfuit, & a Rhodo Turcici exercitus obsidionem aver-  
& corum libe-  
rorum divi-  
nissima sepe  
indoles repe-  
riatur.

Hic animi & lingvæ dotes habuit mirificas, ita ut non  
tantum armis, saltu, equestri scientia floreret, sed & divinita-  
tem ingenii ostenderet. Cum enim in Bononiensi Acade-  
mia multi nobiles essent, qui literis operam darent, vix ullus  
fuit, qui secum non male agi putaret, qui in ejus amicitia ali-  
quem locum propter dotes ejus non obtineret. Et jam non  
minor eruditionis illius, jam virtutis militaris opinio erat, quip-  
pe publice quotidie disputans eosdem oculos in se converte-  
bat, quos antea in admirationem fortitudinis suæ rapuerat. En-  
igitur talia etiam ingenia, quæ militares sepe parentes produ-  
cunt; ut adeo non tantum ab eruditis prodeant eruditi indole  
præstantissimi, sed & ab aliis & quidem militaribus: nam ex-  
perientia conatum horum non raro ad studia vehementissi-  
mum extitisse, testatur. Hinc de jam dicto Scaligero memo-  
riæ proditur, quod ubicunque a militiae laboribus respiratio ipsi  
data fuerit, ad studia Bononiae exercita dulcedine quadam fur-  
tim motus se recepisset: quippe qui denique rei militari plane  
valedixit. Haec tenus indolem militaribus sepe a DEO con-  
cessam probavi; nunc etiam ostendam, quod opificum eo-  
rumque liberorum divina etiam dentur ingenia. Quis enim  
vellet dicere, opificum vires naturæ oportere esse ignobiliores?  
experientia sane testatur, inter eosdem meliora sepe  
ostendi ingenia, quam inter eruditos: quos judicio maxime  
superant. Etanne putas penuriam impedimento multis fu-  
isse, quo minus studia apprehendere potuerint. Hinc quotidi-  
cet, ut opifices talibus naturæ viribus valentes in consortium  
hujus

hujus vel illius collegii & senatus recipientur. Si autem adhuc de hisce dubitare velles neglecturus sortem ejusmodi hominum, ad Creatoris opus te duxerim universum, quo idem ille autor & summos & viles creavit exornavitque singulos imagines sua: vi cuius etiam in oculis tuis vilissimi aequa magna efficer possunt. Sed mitto opifices ipsos, tantum ostensurus, quod hi saepe cum conjugibus suis liberos genuerint, qui singularissimis animi dotibus condecorati fuere. Sic Antonius Musculus, doliarius, cum conjuge Angela Sartoria genuit liberos quatuor, inque iis filiam unam, sed duo tantum filii fuerunt superstites, Hammanus & Wolfgangus. Hammanum pater suo artificio instituit: Wolfgangum vero, quem NB, videbat ingeniosem & magis ad studia natum, literis addiscendis destinavit: quibus cum primum imbui cepisset; statim in illo singularis quædam indoles & industria, animique in studia literarum fervor & cupiditas eluxit. Erat enim & mira ingenii promptitudine & studio discendi adeo ardenti, ut nullum in eo unquam legendi scribendique fastidium appareret: neque calcaribus ille, sed frenis indigebat: quippe qui a libris & schola vix unquam, nisi vi abstractus, discederet.

Ex hisce apparet, saepe in tenuissimis indolem, adesse conspicuam, qualis & in Martino Chemnitio fuit, qui natus est Brixæ veteris Marchiæ oppido, parentibus quidem honestis, sed tenuibus, utpote cuius pater lanificio victum queritavit. Adolescentis itaque cum variis difficultatibus ob pauperiem conflictatus tandem firmo proposito & constanti industria vicit. Principiis enim in patria Schola positis Magdeburgum venit, ubi licet pauper, tamen strenue literis incubuit, & elegantem eruditionem obtinuit. Pari ratione Philosophiæ studia Francofurtiæ ad Oderam sub agnato suo Georgio Sabino amplexus, Wittenbergæ eadem, una cum mathematicis præcipue sub Melanchthonie aliisque Professoribus ursit & absolvit.

Non minus Sethum Calvium miramur, cui pater rusticus Jacobus Kalvvitz præmature mortuus est. Derelictus ita-

que a parente ad studia & haurienda religiose pietatis principia adhibitus, & propter præstantissimam indolem in scholam illustriorem missus fuit. Interim plurimi erant, qui artem quan-dam manuariam ipsi commendabant. Sed nutu divino ductus primum pervenit Francohusum, postmodum Magdeburgum, ubi ob egestatem misere vivens musices usu se sustentavit. Tandem Academiam Lipsiensem visitavit. Hic fuit, qui opus Chronologicum scripsit, ostendens omnino in illo ingenii acrimoniam. Thomas Wegelinus parentes habens tenues, lanificio victum queritantes, cum tenerrimæ suæ ætatis ingenium emicaret, studiis est consecratus: proinde in sciolas missus publicas, in quibus preceptoribus eruditissimis usus, adeo profecit, ut omnes ipsum mirarentur. Paulus Röberus Patrem Martinum, Civem Wurzenalem, habuit adeoque ignobilem. Cum autem donis ingenii divinissimis fuerit ornatus, scholis fuit consecratus. Primis autem in pueritia annis vi tantæ indolis ita profecit, ut brevi non modo lingvas, sed & philosophiam mirandum in modum didicerit. Hinc de illo refertur, quod hisce naturæ & industriae suæ ornamentis, cum passim celebraretur, & specimenibus editis in claresceret, ipsi Academiæ Witteb. Patres diligentiam, probitatem, ac excellentissimam indolem juvenis & commendarint, & omni affectu fuerint complexi.

Ex hisce dictis liquet, opificum aliorumque tenuium parentum liberos ob insignem indolem statim a tenera ætate ad studia fuisse adductos. Cum autem experientiæ pateat, non nullos etiam filios ad opicia jam destinatos propter ingenium ad studia a viris inlytis repetitos fuisse, lubet unicum tantum Exemplum adducere. Jacobum Andreæ adhuc parentes ad literarum studia, inque scholam miserunt; sed tenuiori statu & conditione sumptus ad studia necessarios dare non poterant. Triennio igitur præterfluxo ipsum opificio mechanico addicere suscepserunt, & jam cum fabro quodam lignario pacti erant parentes; sed mutans propositum svasu consulis Sebastiani Maderi, Stutgardiam filium ad Erhardum Schepfium, genera-

neralem tunc Ecclesiarum Wirtenbergici ducatus Superintendente pater adducit; subSIDium filio ad studia ex Fisco ecclesiastico impetraturus. Schepfius puerum decennem examinans deprehendit ingenium quidem ei esse egregium, sed non nihil a Ludimastro in schola patria neglectum: cum parente itaque hoc init consilium, ut Waiblingenses (Waiblingæ, ducatus Wirtenbergici oppido Jacobus Andr. in lucem editus anno Christi 1528.) ex suo ærario ecclesiastico partem quandam, reliquam pater contribuant, puerumque in scholam Stutgardianam mittant, ubi ingenio felici divinitus ornatus facile ea, quæ tradebantur, arripiebat, inde factum, ut stipendio accedente cum aliis commilitonibus primam lauream consecutus fuerit. Proinde non laudanius parentes opifices, vel alios etiam, qui filios bona indolis discendi cupidissimos a literarum studio alienant; forte DEUS eosdem tam insigniter ornatos ad multa elegit efficienda: Sic hic Jacobus And. ob illum ingenium anno ætatis suæ 25. in solenni Panegyri Doctor Theologiae est renunciatus, cum antea ecclesia Göppingensis Pastor vicinarumque Superintendens specialis esset constitutus, posteā vero etiam generalis. Merita ejus in reformanda ecclesia præstata sunt memoratu dignissima. Quod si igitur consilio Sebastiani Maderi & Erhardi Schnepfii ad studia non fuisset electus, qui viri sine dubio a DEO ad hanc rem excitati erant, nonne ecclesia id obfusisset, ad quam tamen reformatam in utero materno sine dubio a DEO jam selectus fuit. Quapropter reprehendimus merito non minus parentes quam filios ipos; illos, cum ingenia filiorum splendida neglexerint; hos vero, cum dona sua præclarissima perdiderint, vel ad scelera adhibuerint.

§. XI. Quod pietas & preces augeant indolem & illu- Adjumenta  
striorem reddant, non est, quod dubitemus: Siquidem prin-  
cipium sapientiae est timor Domini: & dimidium studii rite  
precatus habet. Hinc David preces pro filio suo Salomone  
fundebat ad DEUM ardentissimas, I. Chron. 30. v. 19.

nempe preces  
& institutio.

Institutio etiam incrementa affert egregia: nam nemo facile erit, qui institutione bona pueros & dociles & moratos fieri negabit. Quapropter præceptoribus & eruditis & moratis parentes liberis in primâ statim pueritâ prospiciant, ne quid in instituenda, & bene exornanda indole negligatur, quæ sic optimè excolitur. Sic de Matthia Hafenreffero, qui postmodum Professor & Academiæ Tübinger Cancellarius constitutus fuit, refertur, quod ipsum præstantissimæ indolis ad summæ sapientiæ culmen illustres duxerint præceptores, & præcipue Theologi, quibus semper Wirtembergia abundavit & adhuc abundat. Institutione & exemplo præceptorum ita excitantur nonnulli, ut indolem ardentiorem & firmorem quasi sentiant: quod in Friderico Widebramo observatum fuit, de quo in vita ejus hæc verba extant sequentia: Anno ætatis sue decimo septimo, Christi millesimo quingentesimo quadragesimo nono Jenam Thuringorum Widebramus missus est, & optimos eruditæ doctrinæ & pietatis doctores & morum gubernatores adolescens fortitus est. In horum numero erant Erhardus Schnepfius, SS. Theologiæ Doctor, cuius in dicendo dænætria & ubertatem illi, qui omnium in laudissima Tübingeri Academia docentem audiverant, olim non satis celebrare poterant. Victorinus Strigelius, Melanchl. <sup>vv/c</sup> discipulus: Ioh. Strigelius, Poëta & vir optimus, cuius institutione & exemplo excitatus Widebramus NB. naturalem illum impetum ad Poëticen, ardentiorem & firmorem in se fieri sentiens, carmen initio componere, tandem etiam magna ubertate & suavitate fundere cepit. Ex hisce constat, verum esse, quod de Henrico Chichele usurpatur: Sæpe docet fructus, de qua fuit arbore ductus. Chaundlerus de Gulielmo Patteno, Episcopo Winton. hæc verba facit: Pullulans radice, florencens quasi virgula, ope & adjutorio Thomæ Bekingtonii beneficentissimi Domini & Vellensis ecclesiæ præulis lessissimi ferme in cedrum crevit magnam, quasi lignum plantatum secus decursus aquarum uberrimos fructus prorulit. Exinde evidenter apparer præceptores esse ad instar hortulanorum, qui plantas (ingenia) variis modis colunt, ut insigniter

signiter crescant. Soler quidem natura bona interdum per se bene & laudabiliter agere, sed multa etiam inter bonos fructus vitia saepe profert, nisi recta accedit institutio, perinde atque bonus ager, si non probe & accurate colatur: cultura autem optime a praceptoribus suscipitur, quorum ductu praelatos faciunt progressus.

§. XII. Sunt equidem in juventute sortis felicissimæ, qui in dolore valent illustri; sed non negari potest, pauperiem saepe huic indoli officere: nam saepe causa est, quo minus incrementa sperantur; hinc optima ingenia, nisi consilio adjuvantur aliorum, pereunt. Propterea penuria non parvum est impedimentum; uti & invidia, quæ multa detrahit beneficia, quibus pauperes indolem excolere possent.

§. XIII. Quamvis autem pauperies non raro sit impedimento, qua premente ingeniorum etiam excellentissimorum præstantia divinitus concessa succumbit; tamen nonnunquam etiam contingit, ut a Principibus aliisque sublevetur. Nonne electoralia beneficia in tribus scholis provinciarum nostrarum inclytis multis in dolore præstantibus pueris & adolescentibus succurrunt; utpote in quibus exiguorum parentum liberi ita saepe instituuntur, ut spem non minus de se faciant præclaram, quam compleant exoptatissimam. Faxit DEUS, ut hec domicilia sapientiae a Rege & Electore nostro Patre scholarum clementissimo non tantum conserventur, sed & magis magisq; augeantur, quo semper habeamus, quos ex iisdem bono publico exhibere summa utilitate possimus. Ejusdem generis beneficia etiam stipendia habentur: Sic celerrimus Saxoniar Pro-Elector, Fridericus Gvilielmus, porrexit manum Friderico Balduino ingenii viribus ornatussimo, de quo scribitur, quod alioquin præclarum ejus ingenium diutius jacisset, si ob tenuitatem porro ipsi ante vivendum fuisset. Laudat & Augustus Pfeifferus in dedicatione sua dubiis vexatis præfixa munificentiam Joh. Georgii II. hac in re largissimam. Sic Senatus Vratislaviensis, ubi non obscure intellexit Lucam Pollionem juvenem donis a Deo

Impedimenta,  
paupertas &  
invidia.

Paupertatis  
levamen.

ornatum esse non vulgaribus, judiciique dexteritate & eloquendi facultate, ut ad majora aptior fieret, sumptu publico Lipsiam ablegavit, Theologiæ & Hebreæ Lingvæ imprimis cognoscendæ causa.

Polycarpus Lyserus anno ætatis 14. græcis & latinis literis excultus ad Tübingerensem Academiam se contulit, dignus judicatus, ut qui in numerum alumnorum Principis Wirtembergici cooptatus publicis sumptibus aleretur: Sicque alumnus & stipendiarius non otio, non commissationibus non voluptatibus, sed continentia, honestati, diligentia incubuit. NB. Hactenus autem recensita adminicula etiam se extendunt ad ætatem secundam.

Incitamentum, quo indoles ad sui culturam eo magis instigatur, est æmulatione.

§. XIV. De æmulationis affectu vide dissertationis nostræ supra citatae §. 12. ubi hæc verba extant: *Frequentissimum, Lector, meditare affectum æmulationis eruditorum vehementis & arduæ, bonam atque honestam præ se ferentis notam; quippe qui est perturbatio animi, ob ægregiam mentis egregiam & eruditio specimina, quibus pares aut similes eruditæ condecorati spectantur, non quod aliis alijnt, sed quia nos iisdem sumus destituti.* Affctus igitur in illustri est positus, qui complectitur desiderium, quo parem, si non superare, eidem tamen se æmulatione generosa similem reddere flagrat.

Quæstio:  
An hebetiorum ingeniorum industria succurri possit?

§. XV. Cum autem hactenus divini ingenii mentionem fecerim, non ita intellectum velim, ac si eruditio non itidem præclara sine indole connata egregia obtineri possit; nam etiam hebetiorem indolem vel ingenii defectum supplet studium. Sic Ambrosius Moibanus patrem habuit calcarium, civem Uratslavensem. Puer, cum esset ingenio hebetiori, nihilominus indefesso studio eruditioem sibi comparavit non exiguam, adeo ut etiam facultate extemporali fundendi carmen valeret. Cracoviæ quidem, quo se uberioris ingenii cultus causa contulerat, lucubrationes quotidie in multam noctem produxit: ita ut famulo lucernam observare iusso, ipse a libris non surrexerit, sed apud eosdem obdormierit. Itaque cum in

in omni genere disciplinarum esset exercitatus, Viennæ Austriae artium Magister: Wittebergæ postea, ubi & Philosophiæ Professorem aliquantisper egisse dicitur, SS. Theologiæ Doctor renunciatus est. Exinde patet omnino, industriam compensare indeolem sœpe mirificam; præsertim cum catenati labores habitum insignem acquirere possint. Accedit etiam, quod pueri & adolescentes assidui prævio maxime cultu pietatis, & precum progressus sœpe multo feliores habeant, quam illi, qui viribus naturalibus ornati easdem crebris exercitatiōnibus non colunt, neque preces fundunt.

## CAP. III.

de  
Cupiditate insatiabili.

**P**ensata ingenii divinitate, quæ jam in juventute, quin imo tenera ætate eminet, sequitur delineanda cupiditas insatiabilis, quæ itidem a pueritia sœpe jam clarescit. Ut autem & hoc caput eo facilius observetur, notavi ad marginem §. cuiusque tenorem.

§. I. De cupiditate insatiabili nonnulla dissecui in disputatione jamjam allegatâ §. VIII. sect. 2. ubi verba sic sonant: Cupiditatis E-  
ruditorum  
mentio aliqua  
facta fuit in  
Disputatione  
aliquoties al-  
legata.

Sisto tibi, Lector, affectum insatiabilitatis eruditorum tenerimæ in docendis, legendis, mente volvendis aliisque peragendis tractandisque frequentissimæ. Præsuppositis vero hic loci carere non possum, quibus scilicet affectum summe Eruditorum intellectum voluerim; penetralia enim ut eruditii detecterint, requiritur. Atque adeo his insatiabilitas tenerrima assignatur. Hanc mentis æterni insigne cieri probœ e multitudine rerum sublimium disquisitioni eruditorum expositorum; quarum sive sint divine sive humana secundum expositionem Aristotelicam, svarissima conciliatur tractatio. De cœtero istæ varietatem exhibentes dulcedinem mirum in modum augent, ut non minus hac detineantur, quam etiam cultu-

ram

ram amplificemus mentis nostræ satis ornatam. Nec minus momentum videtur addere solicita de rebus creatis mirifice nobis a Deo propositis, eisque solidius pro voluntate divina exigente examinandis cura. Accedit, quod insatiabilitas in Sacr. Literis quærenda omnem dulcedinem, omnemque jucunditatem excellenter superet. Exempla ibidem allegata adducere supersedeo. Hæc autem non elegantur, quasi cupiditas in pueritia jam conspicua sit eadem cum summis eruditis, sed ut qualitas cupiditatis ratione objecti aliquo modo patescat.

Consistit in genere in pertinaci studio & crebra contentione; seu assidua lectio, ne & auscultatione,

§. II. Multi sane ne minimam quidem industriam præse ferunt pigritiae quasi natura dediti, quam magis magisque commissatione, voluptatibus venereis aliisque vitiis alunt: Segnes enim sunt omni tempore ad literarum studia, cum alii pertinaces in iisdem se exhibere satagant; summa meditacionum voluptate capti. Hinc instinctus non raro naturalis insignis patescit, (qui in piis crebris precibus excitatur & magis ignitus perficitur.) Tanta naturalis indoles Gulielmi Wainfleti adhuc juvenis, Episcopi postmodum Wint. suo tempore fuit maxime conspicua. Laudat enim de ipso Bates. ingenium felix, vigilem animum, studium pertinax, crebram contentiōnem; Verbo: ingenii aviditatem, quæ NB. expleri non potuit. Ut enim nonnulli mala sæpe institutione corrupti desidia quasi marcescent; ita ali optimæ informatiōne usi non possunt non pertinaciter inherere literis, ita ut summo desiderio semper legant & auscultent, præsertim cum classicos autores eligentes in iisdem aurea argumenta percipient.

in specie, in dulcissima investigatione classicorum Autorum, & aureorum in illis argumentorum, sive ea fiat lectione s. auscultatione.

Verba, quæ in vita Petri Bembi Card. per Joan. Casam de ipso referuntur, digna sunt, quæ ad illustrandam hanc investigationem apponantur; Sonant autem ita: *Pater ipsius Bernardus Bembus, cum a sua civitate ad populum Florentinum legaretur, qua in legatione obeunda biennium domo abesse Venetorum*

rum legibus cogeretur, faciendum sibi esse existimavit, ut Petrum filium, quanquam admodum is tunc puer erat, secum adducere; propterea, quod Florentinorum studia parum a Venetorum moribus illo tempore abeſſent, ut puer acueretur, & Italiam maxime lingvam edisceret. Nec vero patris consilium ſiliſ ſefellit industria: ſic enim excitatum juvenile Bembi ingenium ad insatiabilitatem Florentiae eſt, ſic tenerae pueri aures, animusque puro ac dulci illo Etruscorum sermonē imbutus, ut jam inde a prima adolescentia multa cum latine, tum vero Thuscē a ſe ſcripta cupidiflffe ediderit, quibus nil hominum auribus politius, nil omnino elegantius, aut ſlavius accidere potuit. Facebat omnino temporibus illis eloquentia: inquitate enim loquebantur: nullus erat verborum delectus, nullum ſcriptorum diſcribenſ; nam & ipſe negligebatur Cicero, vel contemptui potius erat, & Cæſarem propter historiam modo curſum & negligenter legebant, Terentium, Virgilium, bonos caeteros in ludo tantum, idque perpruici ediscebant: poſt puerilem illam diſciplinam ſumebat eos in manus nemo; duros, obſcuros, aſperos ſcriptores amabant; conſectabantur abditas & abſtrusas historias aut fabulas: qui iūs inceptiſ referti eſſent Autores, ii eruditii dicebantur: itaque unus Ovidius de veteribus in honore erat. Ergo ſi verum querimus, nil ante Bembi etatem latine ſcriptum očtingentis ipſis annis, aut eo amplius eſt, quod Romanam illam veterem redoleat, aut magnopere lectione dignum fit: hanc inter erroris atque incitiae, pergit poſt plura: caliginem Bembus ad veterum ſcriptorum tanquam lumen ac lucem reſpexit primus, priuilegiis ab omnibus, magnis quidemhortationibus, magno ſuo labore, multis reclamantibus ac repugnantibus, impetravit, ut Ciceronis, ut Virgilii, ut Cæſaris ſimiles ſeſe in dicendo, quam Apuleji, Macrobi, Statiq; eſſe malent, cum contendere oportere, qui ſcriberent, eam dicendi formā, que optima eſſet, habere animo & cogitatione comprehenſam; ad eam, tanquam ad exemplum aliquod, orationem ſcriptionemque ſuam dirigere; Demoſthene autem aut Cicerone perfectius

in dicendo aliquid promere se posse, qui profiterentur, sua quidem sententia nimium subire oneris, nimium suis fidere viribus; quorum etiam jam olim errores ex temeritate factum esse existimabat, ut malos multos scriptores haberemus: nam cum nonnulli a Cicerone discedere vellent, cum aliter atque ille dicere studebant, quoniam is perfectius atque absolutus esset; dexterius dicere cogebantur. Hec Bembus cum dictaret, cumque etiam literis mandaret, agre ille quidem sed multis tandem persuasit, ut spretos ac repudiatos antea Scriptores optimos illos repeterent, propositosque sibi ad imitandum haberent: Quo quidem Bembi labore quibusque preceptis, quantum eloquentia adauita sit, cuique facile est noscere, si ea, quae ante hanc illius disciplinam scripta sunt, cum hujus artatis scriptoribus conseruantur. Ea obita legatione domum Bembus cum patre rediit JAM BONARUM ARTIUM STUDIIS INCENSUS, JAM ELOQVENTIAE, AC SCRIBENDI MAGNO QVODAM AMORE FLAGRANS; itaque in Siciliam usque ad Constantinum Lascarem græcarum literarum causa prosector, trienniumque ibi commoratus est.

Ut adeo dulcissima ejus investigatio tam in latinis quam græcis omnibus fuerit notissima. Cum enim tam multis annis barbaries literarum obviis tamen bonis Autoribus regnaret, & ille bonos istos autores ingenio suo divinissimo exploraret, statim in propatulo est, ipsum pro cupiditate insatiabili autores classicos & aurea in illis argumenta quæsivisse & probasse.

Est nonnullis  
intuitu certo  
rum studio-  
rum quasi in-  
nata.

§. IV. Multi etiam reperiuntur inter eruditos, qui a juventute studia tantum certa ambient, eaque cupiditate insigniter flagrant; adeo ut ad illa unice nati videantur. Unde est, quod eruditorum aliis ad hanc, aliis ad illam artem & facultatem pronus sit. Non ideo est laudandum, quod plurimi Patronis freti aliquam muneris provinciam suscipiant, quam vel nullis vel invitis naturæ viribus administrant: in scholis autem & Academiis classes omnino certas instituere esset laudatissimum;

mum; proinde Papistæ non inique faciunt, quando certis artibus & facultatibus certas itidem personas destinant, prout capacitatem uniuscujusque ante omnia accurate scrutantur. Potest autem ejusmodi scrutinium optime in primis pueritiae annis institui; quia in nonnullis ungues leonis protinus se ostendere solent, utpote qui intuitu certorum studiorum quasi innatam præ se ferunt cupiditatem.

Id conspicuum fuit in Desiderio Erasmo, quem puerum vix quatuor annorum misit Pater cupidissimum in ludum literarium, de quo refertur, quod primis annis parum profecisset in literis illis inamoenis, quibus natus non fuisset; nam sine dubio nullam ad illas pronitatem habuit: quapropter anno ætatis nono pater eum alium ludum adspirantem misit Davendriam: ea schola tuncadhu erat barbara: prælectis ibidem inter alios Ebrardo & Johanne de Garlandia, nisi quod Alexander Hegius & Zinthius melioris literaturæ spem faciebant. Tandem ex pueris collusoribus natu majoribus Zinthium audientibus primum cepit ardorem melioris doctrinæ, quam insigniter quotidie cupiebat; postea aliquoties audivit Hegium: Hæc autem omnia ab ipso suscipiebantur, quia horum dœcentium studia moribus ejus erant convenientissima. Qualis enim fructus puero provenire potest ex auscultatione præceptorum, qui artes & disciplinas tradunt, quæ plane naturæ ejus contrariantur? D E U S sane varia dona etiam naturalia hominibus distribuit, quibus mediantibus alii ad hanc, alii ad illam facultatem sunt apti, adeo ut nemo sit ad professionem aliquam cogendus, ad quam instinctum non habeat naturale: forte D E U S hominem ad aliud in utero materno elegit, quod diligenter scrutinio experiri allaboremus. Nonne Clarissimo Weissio, Rectori Zittaviensi nunc beatissimo, summæ laudi dicitur, quod discipulorum suorum ingenia ante omnia exploraverit; quippe qui, ni fallor, plurimos stupidos & ad literarum studia minus capaces (forte op-

ficio & artibus aliis a DEO consecratos) s<sup>a</sup>p<sup>e</sup> parentibus remisit. Utinam in omnibus scholis talem selectionem facerent praeceptores, curam tantum habentes eorum, quos ad studia capienda aptos viderent: sine dubio ad hoc prodeisset, ut parentes s<sup>a</sup>p<sup>e</sup> stolidi, quin imo s<sup>a</sup>p<sup>e</sup> rustici, non mitterent inscholas rusticos indolis exiguae pueros. Ad h<sup>a</sup>c eo felicius suscipienda maxime etiam Magistratus autor esse posset; quemadmodum enim secundum Morhofium ingenia, animique facultates certis quibusdam subsidiis ornari & adjuvari possunt, & ejus rei cura ad eos, qui Reipublicæ præsunt, pertinet; ita etiam selectionem ingeniorum in scholis maxime facere competere potest magistribus: utpote qui reipublicæ de inclytis viris prospicere necesse habent. Neque enim, inquit Morhi, ad parentes tantum, quamquam præcipue quidem ad illos, sed & ad Magistratus educationis cura referri debet; quique boni legislatoris munere olim functi sunt, juventutis educandæ rationem etiam habuerunt.

*Secessus sibi  
queritur.*

§. V. Non magis cupiditate insatiabili captus se delectat, quam cum remotis ab aliis literarum studiis vacet; Ideoque multi societatem cum aliis frequentem ardore ducti negligunt. De Johanne Staupitio dicitur, quod a teneris unguiculis generoso animi impetu ad virtutem & eruditam doctrinam contendit: & ut commodius bonis literis vacare posset, gratos Musis secessus quæsiverit. Ex hisce judicare licet, quæ sit in scholis plurimorum cupiditas, qui multis amicis familiariter uti amant, ne quidem unum diem conversationis prætermittentes: paucis e contra conspicuis, qui ejusmodi homines a se alienant, potius tranquillitati studentes, ut eo melius literis incumbere possint. Quis autem est, qui cupiditatem mirifice talenta Deo & nutu ejus non dependere dicat, & generosum animi ad literas impetum non adscribat providentia in literaturâ conspicua. Mihi ignotum non est, multos sane studiosos quam sapissime conquestos fuisse; se olim in scholis singulis diebus cum levibus commessantes nulos in studiis fecisse profectus; præterfluxo

fluxo autem exiguo ad literas destinato tempore abiisse. O utinam secessum quæsivissent, quem illi amant, qui affectu insatiabili ornati a congressibus quotidianis abhorrent!

§. VI. Observamus non raro eruditos non tantum in pri-  
mis ætatis annis, sed & reliquis ita studiis esse captos, ut omnes  
vitæ voluptates, quin imo conjugem & domum sæpe postpo-  
nant: ejusmodi autem cupiditas incitamenta sua non tantum  
in mente, sed etiam in studiis habet; nam mirificus sæpe men-  
tis instinctus ita est comparatus, ut omnia alia præ ardore non  
æstimet; studia autem plurima tanta gaudent dulcedine, ut  
omnes aliae voluptates in nullam sæpe considerationem veni-  
ant. Quantum insatiabilitatis affectum non tantum in juven-  
tute, sed & in universa ætate Budæus ostenderit, docet nos Lu-  
dovicus Rhegius; Tantus enim, inquit, in Budæo bonarum  
artium amor innatus, ut cæterarum rerum oblitus, quidvis per-  
petreretur ipsa cognitione & scientia captus: curas, solicitudi-  
nes, vigilias perferret, nec voluptatem requirens aliam, quam  
quæ ex literis capit, nec ullum fugiens laborem. Ita men-  
tem suam in rebus cognoscendis, quæ sunt ab antiquis repertæ,  
aut investigandis novis alebat cum oblectatione solertiæ: quem  
unum svavissimum animi pastum judicabat. Erat in eo, te-  
stante porro Rhegio NB. inexhausta aviditas legendi, nec satiari  
poterat. Quemcunque librum semel arripuisse, nulla nec  
obscuritate terreri, nec novitatis illecebra adduci potuit, ut de  
manibus deponeret, priusquam pervenisset ad metam. Forte  
evenit, ut haberet sermonem de suis studiis apud Franciscum  
Regem, multis audientibus viris amplissimis, in quibus aderat  
Vistus Præses concilii Parisiensis, Budæo non solum vicinitate,  
sed etiam consuetudine & benevolentia conjunctissimus: tum  
summæ ejus diligentia & testis locupletissimus & laudator cer-  
tissimus. Producto longius, ut sit, sermone, cum alia aliis ad-  
derentur, quæ obstupescerent audientes, & Rex magnopere  
miraretur: hæc Vistus, subjungit: Budæus e regione ædium  
mearum, ait, plus decem annis jam habitavit: tamen quoad

Omnis vitez  
Voluptates,  
quin imo fu-  
turam conju-  
gem & do-  
mum sæpe  
negligit.

possum totius ejus spatii memoriam recordari, hunc nunquam vidi, ne diebus quidem festis in limine domus, ut assollet, ociantem, nunquam horis pomeridianis circulantem, aut prætereuntes circumspicientem, nullum denique tempus vacuum laboris sibi dantem animadverti, aut unam dieculam remittentem relaxandi animi causa. Dignum sane admiratione Exemplum hoc æstimaverim: Insatiabilem enim hujus Budæi cupiditatem prædictus Ludovicus non satis exprimere potest, quæ sine dubio nisi fuit literarum dulcedine & fvanitatem; hanc appellabat aliquando Menkenius olim Eruditorum insigne ornamentum, sponsam illectantem, cum nonnulla pro more eruditissime differeret de eruditorum incitamentis. Et certe hic Budæus omnibus visus fuit ambiens Literaturam ut sponsam, utpote qui reliquas voluptates omniaque lætitiae & hilaritatis genera ne minimum quidem æstimabat: Nutriarum enim die, qui lætitiae est dicatus, minimum tres horas literis operam dedisse commemorant, ne parva quidem momenta incuria solitus prætermittere. Non uxoris amor, quam tamen unice diligebat, non liberorum blandimenta, non rei familiaris cura illum a literis ullo unquam tempore abstrahere aut retardare posuerunt. Ejusmodi eruditorum a juventute secessum amantium copia non est admodum magna; cum pauci sint, qui ardenter studiis inhiare cupiunt. Quo autem rariores sunt tales, eo ardentes cognoscuntur forte providentia divina ad studia tam efficaciter ducti, ut aliquando publico insigne commodum afferre possint.

S. VII. Est omnino saepè admiranda in juvenitate jam cupiditas eruditorum, quæ admodum vehemens & ardua a parentibus & præceptoribus non potest refranari; inde fit, ut corpora simul infirmentur. Hadrianus Valesius exemplum Henrici Valesii hac in re verbis memorabilibus adduxit: quæ de ipso ita efferuntur: *Henricus Valesius puer admodum cum fratre Carolo natu majore missus est Verodunum, ut liberalibus disciplinis erudiretur. Ea in urbe celebres Scholas & Parisiacis adolescent-*

lescentibus tritas habebant Jesuitæ: quibus tum Lutetiae ex Senatus-Consulto docere non licebat. Ibi NB. Valeius tanto ardore, tanta cum animi voluptate in libros incubuit, ut jam tum, quantus in literis evasurus esset, appareret. Mira in eo docilitas ingenii, indoles supra etatem singularis. Facile & celeriter cuncta, quæ tradiebantur, accipiebat, & sua alte infigebat memorie: Sic dictata reddebat, sic, quæ dicuntur themata, componebat, ut præceptoribus ac præfectis amori simul & admirationi, æqualibus esset exemplo. Nec incitandus puer erat, sed reprimendus, ne in morbum incideret, quare unam ei horam plus quam reliquis condiscipulis præfectus cubiculi indulgebat ad somnum: æquum quippe erat, eum, qui citius metiusve cæteris scholasticum pensum absolveret, qui plus cæteris laboraret atque proficeret, ad reficiendas corporis & animi vires plus etiam dormire quam cæteros.

Ex quibus videmus, esse magnam differentiam inter discipulos; quorum paucitatem instinctum habent, plurimi autem, si non languescentes, tamen illis remissiores deprehenduntur; quorum studium ita est comparatum, ut non facile corpori detrimentum attrahant.

S. VIII. Quanquam autem non minus tantos studiorum Ejusmodi cu-  
exantlare labores, quam præceptorum lateribus indesinenter piditate insa-  
adhærere apud turpissimo otio deditos sæpe turpitudini habe-  
tur: nonnullorum tamen cupiditatem pro charactere naturæ  
non obscuro in hisce totam esse occupatam videmus. Sic Die-  
tericus ob insignes animi dotes vitæque sanctimoniam Luthe-  
ro & fido ejus laborum Socio Melanchthoni charus non solum  
summa discendi cupiditate utrumque audivit, sed ne a latere  
quidem eorum discessit. Johannes Forsterus, Johannis  
Capnionis auditor fuit, qui maxime delectabatur studiis junio-  
rum. Fuit autem huic Capnioni hic Forsterus inter auditores  
familiarissimus: quia majus erat ejus studium, quam aliorum.  
Ac retinuit hunc erga Forsterum affectum optimus Senex, etiam  
post

post eius discessum: Cui arguento esse potest hæc ad Forsterum epistola:

*Domino Joann. Forstero, Augustano, Philosophiae Magistro  
S. P. D. Joann. Reuchlin. Quam molesta mihi res est, Di-  
lectissime Vir, atua & aliorum studiosissimorum auditorum meo-  
rum presentia recedere! Cum enim in tanta tam Hebraicæ  
quam Græcæ lingvæ discipulorum frequentia, asiduo studio  
indefessas mihi aures præbueris, tum unus omnium in lingvæ  
Hebraicæ plurimum fudasti, ut dignus mihi visus fueris, cui  
publici auditorii pulpitum concederim. Quare perge incum-  
bendo bonis, & doctrinæ a me prælectæ: Sic enim in virum li-  
teratissimum & lingvarum ornatissimum interpretem, Deo ad-  
spirante, cæteris commodo & utilitatib[us] evades.*

Hic Forsterus deinde Lipsiam se recepit, & audivit Petrum Mosellanum, cuius oratio vere Xenophonteam referebat sva-  
vitatem. Adolescentiæ annos relinquens docuit lingvam he-  
bræam, docuit & Ecclesiæ doctrinam in Academiis & templis.  
Unde igitur tantos putas habuisse profectus? sane a præcepto-  
ribus, quibus aures continue a primis pueritiæ annis præbe-  
bat: quo siebat, ut tandem ad summum culmen perveniret;  
nam & doctoralia ipsi tandem sunt collata insignia, & publica  
sanctæ lingvæ Professio Wittembergæ, ubi confederat, com-  
mendara. Negari equidem non potest, exemplum tam Die-  
terici quam Forsteri magis ad ætatem Eruditorum sic secundam  
referri posse, cum in Academiis præceptoribus maxime adhæ-  
serint. Quia tamen in juvenca admodum ætate id accedit, hosce  
in documentum apponere non absolum fuit. Qua ratione  
& adduci potest exemplum insigni studio præceptoribus & eo-  
rum doctrinis adhærentis Cumani Flinshb. qui cum Witte-  
bergam venisset, diuturnam quasi litim discendo vix potuit ex-  
plere. Nam, quod unice in voris antea habuerat, viros in  
omni disciplinarum genere excellentes tam publice quam pri-  
vatim audivit cupidissime: sibi ipse studiorum leges atque or-  
dinem præscripsit; a Melanchthione autem affine totus pepen-  
dit.

dit. Obiter notandum est, quod ejusmodi cupiditate prædicti una serie scripta sibi proposita vel a se ipsis electa insigni ardore eoque insatiabili perlegant. De Christophoro Longolio scribunt, ipsum jam in juventute, quemcunque scriptorem sibi legendum proposuisset, eum nunquam fere de manibus, nisi diligenter perlectum, dimisisse: neque unquam animadversum esse, aut obscuritate scriptoris alicujus aut prolixitate deterritum, quo minus totum perdidicisset, si modo talem putasset, ex quo fructum aliquem capere posset: ut adeo omnino ejusmodi ingenia nonnunquam reperiantur, quæ instinctu insatiabili se ab autore perlegendendo abripi non facile patiuntur; en igitur providentiam in hoc literarum negotio frequentissime ponderandam!

Hanc cupiditatem insatiabilem spiritu præstantissimo cieri Physici non incommode putant: quapropter ardorem literis operam dandi plane nullum esse eorum, qui Spiritum variis vitiis scortando maxime debilitant: præsertim cum cerebrum præstantissima sit pars, quæ plena spiritus æstimatur, quod autem ejusmodi viri corruptitur. Sciendum enim est, Hippocratis sententiam esse, semen oriri a toto corpore, sanum a sanis partibus, langvidum a langventibus, sed plurimum a cerebro: nam cerebrum maxime cognatum est naturæ seminis, cum totum oriatur ex præstantissima parte seminis, plenâ spiritus? Est igitur inimicissima cerebro & perniciofissima immoderata Venus. Quid proinde mirum est, si ex hac ratione multi statuunt, plurimos reperi inter eruditos, qui segnes quin imo inepti ad studia assidue tractanda sint: ardor quippe spiritu insigniter excitatur, quem autem via eruditis exiunt. Hisce consideratis sententia stat firma, quod in sobriis & continentibus ardor autores perlegendi &c. sit magis conspicuus, quam in aliis, qui hodie maxime in scholis & academiis cupiditatibus carnis quotidie indulgent.

§. IX. Quamdiu quis cupiditatis carnalibus sic deditus est, tam diu saepe nihil ardui tractat; voluptates enim distra-

Nonnunquam  
demum fervo-  
re voluptatum  
hunt

aliquantum extinto, hac cupiditas se exerit. hunt hominem, quo minus literis affixus esse possit. Hinc non raro contigit, excellentissimi ingenii homines ad tempus sibi suisque cupiditatibus strenue vixisse, usque dum hisce evanescentibus cupiditatem exhibuerint mirificam. Exempla, quæ adduci possent, sunt odiosa, quorum ætas juvenilis multis voluptatum vitiis referta fuit, qui tamen postmodum columnarum & coronarum Eruditorum laudem deportavere. NB. Dixa autem ad marginem nonnunquam. Sapius enim dicimus: Das werden die besten Leute. Quæ autem assertio fundamento caret; siquidem pueri optimi ingenii tali dissoluta confusitudine noti sepiissime etiam pereunt: Licet & sint, qui voluptates evincant. Exemplum hac in re insigne Gul. Budæi Ludovicus Rhegius nobis exhibet: Verba ejus ita fluunt: *Budæus, cum vix primoribus labris latinos scriptores attigisset, quod suit in more Majorum positum, Aureliam celebrem urbem, ut ibi jus civile disceret, est missus: quo in gymnasio triennium versatus, operam omnem perdidit.* Neque enim ignarus Latinæ lingvæ, & ab aliis disciplinis imparatus, artem illam reconditam & multiplicem subtilemque, cui se dediderat, cognitione & scientia poterat comprehendere. Domum revocatus, cum aliis, quibus adolescentia capitatur, voluptatibus, tum venationi atque alicupio præcipue induxit. Quæ tamen eum non diu occupatum impeditumque tenuerunt: Nam paullatim NB. deservescientibus ejus ætatis cupiditatibus, illisque deliciis mature deflorescentibus, omnium opinione celerius immutatus, tanto demum literarum amore exarsit, ut negotiis omnibus omisisst totum se in cognitione & scientia collocaret. Itaque suscepit omittere omnes voluptates, relinquere studia delectationis, ludos, jocos, convivia, sermones etiam omnium pene familiarium deferere; voncibi, non somni, non corporis rationem habere: arbitrari, omne tempus deperire, quod in literis non collocaretur. Ad quæ facienda nullo exemplo poterat excitari. Neque enim facile quisquam reperiebatur eo tempore, quem sibi ad initandum proponeret, aut cuius gloria incenderetur. Verum erat NB. insita quedam discendi in ejus animo cupiditas, quæ noctes & dies illum concitabat, atque admo-

admonebat, nihil esse in vita magnopere expetendum præter sapientiam atque scientiam. In ea persequenda omnes cruciatus corporis parvi esse duendos, esse hanc unam, que brevitatem vitæ, immortalitatis spes, posteritatis memoria consolaretur. Hanc neque eripi, neque adimi posse, neque naufragio, neque incendio amitti, cetera omnia caduca, & incerta in fortunæ temeritate posita, parva interdum offensione veluti grandine totius anni fruges auferri.

S. X. Videamus modo nonnullos adhuc pueros, anne æmulatione cupidiores reddantur? Observavi id sæpe in plurimis, qui inter se æmulatione incensi cupiditatem insatiabilem ostenderunt, adeo ut brevi ad altiora pervenerint; quod maxime virtuosum in disputatione nostra prædicavimus. Instinctus exinde naturalis non frustra videtur esse nobis a Deo communicatus; quippe quod donum naturale providentia divina sic dirigente variis modis adjuvari potest. Et quis hisce probe pensitatis vocationem DEI internam clarissime aperiri negabit? Iujus enim differentiam donis naturæ inæqualibus quilibet cognoscere potest; quam certe ipse Deus constituit, qui hunc vel illum ad altiora in utero jam materno segregavit. Quod etiam exinde clarum est, cum plurimi sint, qui commilitonibus studia ardenter tractantibus, tamen cupiditatem nullam exhibuerunt, multo minus insatiabilem. Dixi autem antea nonnullos æmulatione reddi cupidiores. Exemplo hac in re esse potest Henricus Stolo, cuius patria Dibachium in Palatinatu inferiore oppidum fuit, hic in juventute habuit commilitonem quendam popularem, sed doctiorem: hinc veritus Stolo, ne ille dominum reversus, palmam sibi præriperet: summa contentione id egit, ut si non superior, par certe illi esset. Sæpe itaque de nocte altero stertente, ipse ad lunam sublustrem non sine valetudinis jactura libros legit, pensa proposita didicit. Hac contentione & Hesiodæ eride facile id consecutus est, ut multis illum alterum parasangis post se relinquenter. En exemplum Stolonis

no-

G 2

Æmulatione  
vehementer  
excitatur &  
augetur.

notatu dignissimum! cuius cupiditas insatiabilis æmulatione vehementer excitata & aucta fuit.

*lucubrandi  
converdi-  
nem inducit.*

§. XI. Eruditis autem cupiditatem insatiabilem præ se ferentibus studia die suscepta non sufficiunt. Ideoque nocturna simul jam in juventute amant. Audierunt e Johanne Brenetio amici de juventutis sua studiis interrogato: Solitum fere dies & noctes in adolescentia & juventute studendo continuare; plerumque statim post noctis medium surgere, fratrem juniorum arrepto pulvri ariunà hypocaustum ingressum, illoque capiti supposito consopitum solitudinis levandæ causa pone lucubranti affuisse. Contraxit autem ex ejusmodi assidua conservetudine sibi malum ἀγρυπνίας, quod deinde per omnem vitam duravit, ut post noctem medium parum aut nihil dormire amplius potuerit.

*Majora dat  
speranda,  
quando divi-  
na indole niti-  
tur.*

§. XII. Jam supra dixi, Deum nonnullis tam inclytam indidisse indolem, ut postmodum eo feliciori progressu audiores studiorum se gerere possint: prout providentia ipsius divina hac in re operosa est. Quapropter in Jacobo Heerbrando statim in primis pueritiae annis tria præcipua: ingenium & indoles, quam Græci ἐνφύων dicunt: deinde φιλομαθία, seu discendi cupiditas: denique φιλοτονία, assiduitas in discendo eluxerunt. Ideoque sodalitia & comedationes, ingeniorum etiam optimorum, memoriae, disciplinæ, morum elegantium, adeoque studiorum juventutis certissimas & nocentissimas pestes cane pejus & angve declinavit: adeo nomen ut inde Svecicæ noctuæ a quibusdam convictoribus deportarit. Enigitur divinæ indolis ejusque instinctus fructum egregium, nempe cupiditatem exinde fluentem insatiabilem. NB. Insatiabilitatem autem in hoc capite tertio non tales exposuerim, quæ per totam eruditorum vitam se exerit, sed maxime sub auspiciis juventutis florentem; quæ, quomodo postmodum per totam vitam excolatur, in secunda & tertia eruditorum ætate docebitur.

Hacte

Hactenus Sectionis primæ tria capita absolvimus, jam ob  
oculos ponenda venit

## SECTIO SECUNDA

De  
Sorte Eruditorum in ætate secunda  
seu media conspicua.

**C**onsideratur autem hæc fors ratione incrementorum & profectuum. Dum vero hæc insigniter patescunt e conatibus studiisque in Scholis & Academiis strenue susceptis; ex itineribus, quæ studiorum gratia cupidissime instituuntur; e conversationibus, quibus ad excellentem notitiam acquirendam nonnunquam utimur; facillimum est videre, hanc sectionem in tria itidem capita posse dispesci. Primum igitur sistit nobis profectus in scholis & Academiis mirificos, quibus præ aliis nonnulli magis magisque excellunt; Secundum sistit profectus, quos ex itineribus præ aliis, qui talia negligunt, habent: Tertium sistit profectus, quos e conversationibus cum eruditis consequuntur.

## CAPUT PRIMUM

De  
Conatibus & studiis in Scholis & Aca-  
demiis mirificis.

**NB.** **S**cholas intellexerim superiores, hinc & Academias ad-  
jeci. Proinde non de studiis, quæ in primis pueritiæ vel  
etiam juventutis annis tractantur; sed quæ in secunda s. media  
eruditorum ætate in admirationem multorum continuantur,  
hic sermo est. Multa equidem me hactenus dixisse de studiis in  
scholis mirifice susceptis in animum revoco: sed hic Lectorem  
admonuerim, ut potorem partem de studiis a pueris vi inge-

nii susceptis accipiat, præsertim cum superiores scholarum classes nonnulli teneriores ad instar Crotii concenderint.

Nonnulli tam insigni indole ac judicio va- lent, ut in Scholis & Aca- demiis post modum non minus lectiones quam libros egregios est donum, quod DEUS huic vel illi indidit, quo lectiones & judicare, feliciter & approbare scient. Qui autem id præstant, hoc delectu declarant, se præ aliis ad magna natos esse.

§. I. Judicio eligere non est omnium: stupidi enim, quorum magna copia in scholis & Academiis reperitur, confusione omnia tractant; adeoque profectus exiguo ostendunt, quia expertes sunt judicii, sine quo nullus saepe ordo observatur, quod tamen ordine pervenies, quo non datur ire labore. Cum igitur nonnulli indole & judicio a Deo sint donati eximio, non potest non fieri, ut alios stupiditate notatos superent: & hoc libros egregios judicare, feligere & approbare non ignorat. Qui autem id præstant, hoc delectu declarant, se præ aliis ad magna natos esse.

En insignem saepe discrepantiam, quæ se exerit inter ingenia diversæ indolis; alii enim lectionibus per multos annos decremento scientiæ non laudabili; alii iisdem per paucos annos augmentatione scientiæ non exiguo inhærent: causa est in promptu; illi in meditandis lectionibus judicio carent; hiverto singula verba probe ponderantes egregie proficiunt. Dum Johannes Picus Mirandula decimum quartum ætatis annum egit, matris jussu, quæ sacris eum initiari vehementer optabat, discendi juris Pontificij gratia, Bononiæ se transtulit: quod cum biennium degustasset, meritis id inniti traditionibus conspicatus, alio judicio suo deflexit, non tamen absque bonæ frugis fœtura, quod ex Epistolis Pontificum, quas decretales vocant, epitomem quandam seu breviarium compilaverit, quo omnes concisius, quam fieri potuit, sanctionum illarum sententias conclusit. Quis autem hic non dicere velit, judicium hujus in eligendo & extrahendo pro ætate fuisse maxime stupendum, quo etiam omnibus reliquis anteivit.

De Hieronymo Savanarola legitur, quod ipsi fuerit non tantum intellectus perspicax & solertia perrara, sed & judicium, cum ad veritatem ipsam suapte naturâ se declinaverit; accesserit huc & jugis lectio & NB. delectus Autorum in versandis

Phi-

Philosophorum & Theologorum monumentis, quibus se totum reddidit: Philosophia Peripatetica, quæ fere sola eo tempore exculta fuit, pro viribus excubuerit: & cum multæ sectæ essent, Aquinatis Thomæ Commentariis addictus fuerit. Quam egregie hic Hieronymus delectum Praeceptorum eorumque disciplinarum fecerit, exinde etiam patet: nam in philosophandi munere ducebatur minime eo impetu, quo feruntur innumeri, qui, quem sequi malint Doctorem, non lectione ipsa, sed vulgi opinione deligunt; qui error omnium habetur perniciosissimus in discendo, quandoquidem non juxta voluntatis affectum, sed ex ipsa rerum notitia, non de vaga, quam circumfert vulgus, opinione, sed de percepta perpenfaque cognitione veritatis rerum sectandarum & opinionum pendere delectum oportet. Unde illud ab eo saepius repetitum est, vitiari ob id plurimum studia literarum, quod ordine præpostero in auctoribus diligendis voluntatem sequerentur. Ex haec tenus adiectis exemplis constat, nonnullos tam insigni indole & judicio valere, ut in scholis & Academiis tam lectiones quam libros speciosi argumenti judicare, seligere & approbare possint.

§. II. Differunt omnino inter se ingenia literarum studiosorum; dum saepè quidam excellentia indolis & judicij ita florent, ut alii semper posteriores habeantur, hi quasi dominatores.

In vita Bernardi Gilpini a Georgio Carlet. exposita hæc verba de ipso extant: *Gilpinus cum laude decurso in schola tyrocinio, a parentibus, qui jam sphenmagnam conceperant de filio, mititur Oxonium: tunc temporis Gilpinus annum decimum sextum agebat. Is erat annus Domini 1533.* In Reginensi collegio suscepitus mirifice in bonis literis profecit: *In operibus Eraſmi studiosus hærebat, sicut omnia illius seculi ingenia bona: ad Dialecticæ & Philosophiae cognitionem sedulo ferebatur, in quibus NB. excellere videbatur & in scholis dominari. Addidit humaniores literas, Graeca & Hebraica lingua peritiam singularem, in quibus literis Neiz opera*

*Quo studio.  
rum genere  
saepè ita ex-  
cellunt, ut in  
scholis & Aca-  
demij domi-  
nari videan-  
tur.*

opera & amicitia utebatur, cui cum Gilpino ex studiorum similitudine familiaritas intercesserat: is erat socius Collegii novi & postea Hebraicarum literarum Oxonii Professor: post aliquot annos in his studiis gnarviter collocatus ita clarus Gilpinus charusque suis Oxoniensibus esse cœperat, ut nullum literarum præmium videretur, quin infra Gilpini virtutem subsederit. En insigne indolis encomium Gilpini, qui sane dominator quasi in scholis florebat, cum quo paucissimi comparari poterant.

Magno etiam  
ornamento  
est nonnullis  
in Scholis &  
Academiis,  
quando nem-  
pe præconce-  
ptas Præceptio-  
rum opinio-  
nes non se-  
quuntur, sed  
ingeni capa-  
citatē rei veri-  
tatem ipsi per-  
scrutantur,

§. III. Sæpe etiam ingenio tam valentes innotescunt, ut Præceptorum opinionibus præconceptis se non capi committentes pro intellectus capacitate rei veritatem perscrutentur. Supra mentionem Gilpini feci, de quo porro in vita ejus hæc verba extant: *Hærebat aliquamdiu animus ad Sancta compositus, in tenebris & præjudiciis interceptus non sine aliqua antiquitatis umbra sub superstitionis onere luctabatur. Fortior adversus vitia & fôrdes, quam adversus paternas traditio- ingenii capa- nes: itaque tunc temporis magnum cause Pontificie momen- citate rei veri- tum videbatur Gilpinus: disputabat publice contra Johannem Hooperum, qui postea Episcopus Vigorniensis erat, ac tandem gloriósus Christi martyr laudatus. Mortuo Rege Henrico VIII. quum jam Edwardus Sextus regnum obtineret, ejus munificencia & pietate adductus Petrus Martyr Oxonii sacras literas docebat. Huic obſtare nitebantur Sophistæ Chedſeūs, Morganus, Westonus: qui Gilpinum etiam cupiebant adducere, ut Martyri majorem ex ejus consilio & auxilio crearent molestiam: atque eares tandem eo devenérat, ut Gilpinus productus fuerit ad disputationem contra P. Martyris positiones. Ex quo con- flictu Gilpinus, ut causam suscepitam tucretur, accuratius cœpit Scripturas & Patres antiquos excutere. Ad ejusmodi au- tem indaginem laudabilem multa omnino contribuit naturæ capacitas; sed quis non dicat, progressus hac in re insigniores sperari, si preces accedant. De Petro Martyre scribitur, quod ejus Oratio apud DEUM pro Gilpino tantum valuerit, ut li- cet*

cet non subito tamien pedetentim ad veritatis agnitionem accesserit.

Exemplum aliud hujusce indaginis judicium redolentis adducam: refertur autem hic exemplum Erasmi, qui, referente Rhenano, mortuo utroque parente, tres tutores accipiebat; horum præcipiens erat Petrus Winckel, tum ludi literarii Magister Gaudæ. Itaque ablegatus est in Buscum Ducis, quum jam satis maturus esset Academia: verum illi Academiam metuebant, quod statuerant eum religioni alere. Illic vixit annos ferme tres in ædibus fratrum, ut vocant, in quibus docebat Rombaldus: quod genus hominum jam late se spargebat per orbem, quum esset pernicies bonorum ingeniorum & seminarium Monachorum. Hic Rombaldus, qui admirabatur hujusce ingenium, cœpit ipsum solicitare, ut suo gregi accederet; inde autem & judicio jam præclarus excusabat inscitiam ætatis. Hinc exorta peste, quum diu laborasset febri quartana, reversus est ad tutores, jam stylo quoquè satis prompto, ex aliquot autoribus bonis parato. Unus tutor perierat peste; cæteri duo cœperant agere de monasterio. Adolescens autem a monasterio abhorrebat: itaque ad deliberandum dant diem: interim tutor subornat, qui pellicant, qui minitentur, qui perpellant animum Erasmi. Atque interea repererat locum in monasterio Canonicorum, qui vulgo vocantur regulares, in collegio, quod est juxta Delft dicto Sion: quæ domus est principalis ejus Capituli. Cum dies venisset respondendi, respondit prudenter adolescens: Se nondum scire, neque quid esset mundus, neque quid esset monasterium, neque quid esset ipse: proinde videri sibi consultius, ut adhuc annos aliquot agat in scholis, donec sibi notior esset. Ad quæ infremuit Petrus: ergo, inquit, frustra laboravi, qui talem locum tibi magnis precibus paravi: tu es nebulo: non habes spiritum bonum: abdico tutelam tuam, vide, unde aleris. Adolescens respondit, se accipere abdicationem, & ea esse ætate, ut non opus sit tutoribus. Sed in vanum ille laborare videns subornat fratrem, qui & ipse

H

tutor

tutor erat, negotiatorem, is blanditiis tandem eum adigit. Accedunt instigatores undique, tandemque persuasus & nimis adactus est: nam omnino juventutis ingeria multis blandimentis tandem moveri possunt; interim laudandum erat, quod Erasmus sermone summa prudentia ornato hactenus hæc omnia a se declinasset.

Quanquam autem se persuaderi ad  
crescentibus etiam  
aliorum opinio-  
nione ratione  
ne etatis non  
nunquam pa-  
tientur; pro-  
fectori tam  
judicio, annis  
juventutis  
crescentibus,  
ejusmodi in-  
genia senten-  
tiam hanc  
mutant.

§. IV. Notum est, non semper illico se exerere ingenia, sed pedetentim clarescere; & cum sic annis crescentibus etiam judicium, ingenio profectiores sententiam jam antea conceptam sèpissime mutare, non mirum est; nam judicium sàpè non mature se ostendit, quapropter omnia postmodum gio, primus certe Gallorum rudi adhuc seculo, sine præceptore ac duce, nullo socio aut consorte gloriofi laboris, nullo æmulo aut imitatore studiorum in optimarum artium curriculum prodidit. Cæterum, cum is non posset per ætatem optimos quoque autores eligere, nec sciret, a quibus potissimum auspicandum esset, in constituendo studio plurimum peccavit. Deterrium enim quenquam librum sumens in manus, interpretes aliquanto intentius quam Autores ipse legebat. Ex quorum illiteratis Annotationibus nil præter inconditam rerum temere congregatarum sylvam poterat comparare. Quo NB. errore intellecto, et si graviter ferébat se vestibulo in ipso adituque impeglisse, non tamen animum despondit, sed sensim vitia, in quæ dilapsus erat, quæque per imprudentiam hauserat, eluit, & magna sustulit difficultate. Hanc vero fecit NB. instituti mutationem, ut optimum quemque legeret sine interpretibus, & Ciceronem imprimis ad verbum disceret. Sæpius enim lectio nem a capite repetendo hoc boni consequebatur, ut prima cum mediis, media cum extremis conferendo, facile totius orationis cursum cerneret, ipsumque Autorem suæ sententiae quasi interpretem haberet: res etiam reconditas, quæ plerumque in Scriptoribus occurrunt, intelligeret eadem exercitatione & diligentia. Itaque paucis quidem annis, sed plurimo certe studio

studio Romanis artibus & literis ita profecit, idque intra domes-  
ticos parietes, ut jam sive ad oratores, sive ad poëtas, sive ad hi-  
storicos se converteret, facilem & expeditam eorum intelligen-  
tiā haberet.

§. V. Non minori laude prædicantur illi, qui delectum  
Scholarum & Academiarum instituunt celeberrimarum; hi  
enim omnino ostendunt cupiditatē non minus thesaurum  
studiorum colligendi, quam alios superandi. Tali cupiditate  
eāque insigni prædictus erat Fabianus a Dona, qui, uti Gerhar-  
dus Vossius annotavit, Torunii studia insignia imbibit: eo ex ma gaudent.  
ludo literario Regiomontum accersitus equidem ab Alberto  
Brandenburgico in aulam ejus se recepit, non alio fine, quam  
ut cum Alberto Friderico Filio & viginti aliis ex nobilitate  
pueris inter Musarum congressus adolesceret Ephoro morum  
Jacobō Sverinio Pythopœo: postmodum cum Christophoro  
Nostitio, Friderico & Alberto Ganseis, Pauloque Crugerio abiit  
Argentoratum, & paulo post ob morbum grassantem Franco-  
furtum ad Mœnum; Iue autem desaviente rediit Argentora-  
tum, ac quadriennio præceptores audivit egregios, Conradum  
Dasypodium, mathematicum eximum, & Johannem Sturmium,  
communem, eo tempore literarum in Germania parentem:  
Proinde tam multis visitatis Scholis & Academiis luculentam  
eruditionis supellectilem sibi peperit; qua instructus Witte-  
bergam migravit cum Alberto Friderico & Wolfgango Werns-  
dorffis. Hausit igitur ex tot frequentatis lectionibus, quan-  
tum necesse haberet scire, magna olim gesturus. En ege-  
gium Nobilis erudit specimen! qui non nomine tantum, sed &  
re ipsa nobilem se omnibus eruditis reddidit; quia inclytas  
Scholas & Academias visitaverat. Siquidem omnino ex illis  
non raro magna spes appetet, qui non unam tantum Academi-  
am magistram, sed plures querunt, in quibus præceptores egre-  
gios & bibliothecas offendunt laudatissimas. Sic Johannes  
Picus Mirandula secretarum naturæ rerum cupidus explorator  
eruditionis eximia acquirendæ gratia non tantum Italiam, sed &

Galliae literaria Gymnasia perlustrans celebres Doctores illius temporis audivit, operam adeo indefessam studiis impendens, ut Theologus simul & Philosophus imberbis adhuc esset & haberetur. Adeoque etiam fructus e Gymnasiis visitatis talis redundabat, ut Romae, quorsum migraverat, nongentas de Dialecticis & Mathematicis, de naturalibus divinisque rebus quæstiones proposuerit: non modo ex latinorum petitas articulis, & Græcorum excerptas scriniis, sed & Hebraeorum mysteriis erutas, & Chaldaeorum arcanis atque Arabum vestigatas. Taceo, quod idem de Pythagoræ, Trimegistique & Orphei prisca & subobscura Philosophia, multa de Cabballa quæstionibus illis intexuerit: quodque multa alia apprehenderit, quæ omnino tunc didicit, cum frequentaret scholas tam inclytas eoque tempore amplissimas. Proinde patet, eruditos frequentatione plurimarum scholarum nonnunquam insigniter proficere, ut pote ex quibus multam scientiam depromunt, qua alios faciliime superare possunt: præsertim cum Bibliothecarum rationem simul ibidem habeant, quod insigne incrementum afferat.

*Incrementa  
Audiotorum  
pulchra afferat  
quorundam  
industria circa  
Bibliothecas  
in Academiis  
maxime visi-  
tandas, & li-  
bros suis stu-  
diis commo-  
dos accurate  
evolvendos.*

§. VI. Hinc pro ordine id jam tractamus, statuentes incrementa insignia afferri industria circa Bibliothecas visitandas, & libros ibidem evolvendos. Observaverim autem, studium id maxime suscipiendum in Academiis, quia tunc judicium melius se exercere solet. Quia industria nonnulli eo perveniunt, quo multis per vires pari modo non concessas adire haud licet. Hinc etiam plurimi in scholis & Academiis degunt, qui Bibliothecas & rarissimos libros contemtui habent; alii contra, iisque paucissimi mirifice id adspirant; quo sit, ut hi emineant. Bibliothecas autem non tantum intellexerim publicas, sed & privatas, quarum perlustratio apud hunc vel illum professorem vel alium virum excellenter eruditum commodum afferre potest præstantissimum.

Postquam Urbanus Regius in Zafii Juris-Consulti familiam receptus fuit, disciplina domestica mirifice cum excitavit.

In

In hujus præterea Bibliothecam ita se abdidit, ut & libros suis studiis commodos accurate evolveret, & margines præfertim Scriptorum studiose observaret: in quibus a Zasio multis ante annis annotata erant multa, quæ ipse ad lychnuchum noctu in suos usus descripsit. Itaque cum insomnia crebra Zasius ex curis diurnis laboraret, & interdum surgeret, ut obambulando & noctis horas falleret & somnum conciliaret; lucubrante invenit in describendis illis scholiis Urbanum: cuius auriculam Zasius blandiſſule vellicans, arte & scientia sua se ab ipso defraudari jocatus est: aut si quando somno ad candelam oppressum & inclinato in mensam capite dormitantem offendisset, Juris volumen grande unum atque alterum humeris impositum reliquit, donec excitaretur. Amavit eum Zasius ut filium, non minus propter naturæ morumque bonitatem, quam quod in flores propediem se induitum felicis ingenii illud germe prævideret: quam spem de se non fefellit Urbanus. Et cur non omnia bona speremus de juvene Bibliothecas & in ipsis insignia documenta amante; certum enim est, tali ausu non posse non perveniri ad profectus exoptatissimos: argumenta enim ibidem eruditissima occurrentia talem hominem facile locupletant eruditione maxime famigerabili.

**S. VII.** Quod si autem cupiditas Bibliothecas, & autores præstantissimos in iisdem amandi præclaros promittat profectus; non minori aestimatione id etiam dixerim de constantia in studiis, & a voluptatibus abstinentia. Nam concatenato in studiis labore habitus tandem insignis acquiritur; abstinentia autem a voluptatibus multa impedimenta removentur, quibus remotis studia cursu tractantur felicissimo. Quibus igitur virtutibus, qui sunt prædicti, alios omnino superant.

Erat in Caspare Contareno adolescente, referente Joanne Casa, inter discendum conspicua naturæ vis peracris, & per-

acuta, sed tamen magnitudine & firmitate potius præstans ;  
 hoc NB. accedebat animi ac victus vitæque totius constantia  
 quædam, ut, quam semel instituisset rationem, de ea non de-  
 fatigatione, non pigritia, non voluptate depelleretur. Opinio  
 est, in omni vita re vencrea illum omnino usum esse nunquam,  
 defixa mens in eo studio, cui se ab ineunte ætate dediderat, eo-  
 que capta nil præterea concupierat ; ita celeriter assecutus est,  
 ut æqualium magister, grandiorum natu, Magistrorumque tan-  
 quam æqualis & compar haberetur : certum temporis spatum,  
 horarum sane haud amplius trium meditationi & Bibliothecæ  
 attributum & tanquam sepositum habuisse dicitur, cui tempori  
 nec unquam quidquam detraheret, nec fere adderet ; qui reli-  
 quis erat dies in congressionibus amicorum & collocutionibus  
 consumebatur : ea de literis scilicet erant, ut in suo studio, ne  
 cum vacare quidem videretur, cessaret. Quod exemplum  
 omnino declarat, constantia & a voluptatibus aliisque impedi-  
 mentis abstinentiâ nonnullos conspicuo præ aliis incremento  
 proficere. Esto, quod multi constantiae ad tempus tantum ex-  
 hibitæ laudem habeant ; non tamen se æquare possunt cum il-  
 lis, qui cum hoc Contareno omne tempus literis consecrant.

Qui enim a-  
 versantur e-  
 jusmodi im-  
 pedimenta, & rei domesticae removentes, non immerito ad studia quasi nati  
 inter ea etiam dicuntur. Nam illis maxime odiosum est omne aliud præter  
 rem domesticiam, videntur  
 quasi nati ad  
 studia, quibus  
 postmodum  
 in Scholis &  
 Academiis  
 sine ejusmodi  
 impedimentis  
 suscepis præ  
 aliis excellunt.  
 §. VIII. Tales autem, qui cum Contareno hâc ratione  
 laudantur, impedimenta & inter ea etiam administrationem  
 studiorum negotium ; utpote qui semper cogitationis ac do-  
 ctrinae studiis occupati sunt : ut adeo mihi mirum non videa-  
 tur, Democritum, nobilissimum quendam Philosophum, ut ea  
 cura eoque impedimento liberetur, omnes fortunas suas abje-  
 cisse. Quapropter etiam Contarenus duo deviginti annos  
 consecutus, Patre mortuo Aloisio, liberorum magnum nume-  
 rum relinquente, discedebat aliquamdiu licet invitus a literis,  
 & Patavio proficiscetebatur, ut fratres partim in Apuliam, par-  
 tim in Alexandriam, ibi enim magnas societates Aloisius Pater  
 habuerat, distribueret, partim Venetiis relinqueret : rebus au-  
 tem

tem domi bene constitutis Patavium reversus est: studiumque haud quaquam longo intervallo a se intermissum, cupide renovavit, in ea urbe doctissimorum hominum plena, ac liberis artibus affluentι aliquot annos cominoratus est: cum in principib⁹ jam philosophicis numeraretur, atque ejus nomine plurimum in dies increbesceret.

§. IX. Ulti e socialitate hominem cognoscimus, ita erudit⁹ maxime indolem e conversatione cognoscere possumus. Solent saepe numero multi in Scholis & Academiis viventes tantum ignororum & epulantium familiaritate uti, solidam nihilominus eruditionem reputantes: tale autem hominum genus profectus minus praeclaros assequitur; ubi e contrario incrementa speratur, quando quis industriorum eruditorum conversationem mirifice affectat, & cum iisdem die nocteque autores evolvit auditaque repetit.

B. Rhenanus S. in praefatione ad Imperat. Carol. V. de Desiderio Erasmo ita scribit: *Orbarus Erasmus utroque parente, ut tutor omne procurationis onus discuteret, ejus improbitate in cenobium Canonicorum, quod addita latina interpretatione Regulares appellant, ex Daventriensi schola Monachorum omne genus fertilissimo seminario, detrusus est.* NB. In eo loco Gulielmum Hermannum Goudensem literis deditissimum juvenem aliquot annis studiorum sodalem habuit, cuius extat Odarum Sylva. Hoc NB. socio adjutus & accensus nullum Latinorum autorum volumen non excusſit, diu nocteque erant in literis. Tempus, quod aequales alii jocis, somno, commessionibus ignoranter absuſebant, hi duo libris evolvendis & exercendo stylo impendebant. Nam conversatione non minus Praeceptorum quam commilitonum eruditorum in disciplinis strenue proficimus. Sic Antonius Waleus in Logicis Keckermanno asseverit, cui Zabarellam, Monlovium, aliosque adjunxit: in physicis Toleto, Zabarella, Picolhominao; maxime delectatus est in Ethicis Acciaolo; legit tamen quoque Magirum, Muretum. Exinde patet, quo usque pervenire possumus conversatione cum eruditis, & qualcum

Parte ratione  
fortis inclut  
encomium in  
scholis & Aca-  
demiis meren-  
tur, qui indo-  
le adjuti cum  
fodalibus in-  
genio itidem  
in signi valen-  
tibus libros  
selectorum ar-  
gumentorum  
sumunt perle-  
gendos, colla-  
tionem simul  
instituentes  
cum auditis,

qualem indolem exhibeant illi, qui ea capiuntur.

Sortem præ  
alii etiam  
ostendunt, &  
incrementa  
studiorum ex-  
hibent, qui in  
scholis & Aca-  
demias incli-  
nationem præ-  
seferunt sibi.  
gularum ad  
impendendo  
studis sum-  
tus,

§. X. Non male etiam ominamur de indole eorum, qui omnia sua libris & studiis impendunt. Ludovicus Rhegius de Budæo memorat, se suo tempore in Gallia neminem vidisse, qui eruditione, græca maxime lingva, præclarus fuisset: ardore autem discendi incredibili impendisse multam pecuniam, magna mercede conductum Georgium Hermonynium, hominem mediocrem, qui solus in Gallia eo tempore in græca lingva summa fuisset admirationis, ad se accersivisse, & antequam dimitisset, amplius quingentis nummis aureis donasse. Nam induxerat animum hic Budæus (Ludovico ulterius id recensente) adeo nec sumtui nec pecuniae parcere, dum id, quod cupiebat, quoquo modo assequeretur. Itaque huic Græco cum aliquot annis operam dedisset, & eo prælegente audivisset Homerum & alios Autores insignes, nihil doctior est factus. NB. Animo nos maxime debemus sumtibus & pecuniam, quibus ille tanquam adjumentis excoli possit. Summum enim bonum in animo querere non minus dulcissimum quam convenientissimum est ingenio egregiis donis ornato. Exinde apparet, studia eorum non esse feliciter suscepta, quorum parentes studiis nil impendere cupiunt, nec sape possunt: quorum pertinet opifices, & alii, qui liberos studiis tradunt nulla alia ratione, quam ut cœco impetu ad sortem eruditorum & dignitatem eos provehant, sive sint apti, sive minus tales. De quibus D. Joh. Bened. Carpzovius, olim Lipsiensis Theologus celeberrimus, aliquando dicebat: Es ist ein grosser Verderb unter uns, daß so viel Handwerksleute, oder auch wohl gar Tagelöhner, ihre Kinder studiren lassen, wenn sie auch gleich stupidissimi sind; Dahero thäten Präceptores auf Schulen wohl, wenn sie solches denen Eltern, oder auch wohl denen Inspectoribus der Schulen demonstrirten, daß nicht so viel inutilia terra pondera zu grosser Beschwerde des gemeinen Wesens würden.

Pollicentur  
itidem de se  
in Scholis &

§. XI. Audire non tantum doctissimos Präceptores, sed & cum iisdem conversationem instituere incrementa laudatissima

sima promittit: qua occasione docemur solidissime, quod aliis Academiis non facile contingit: quapropter Antonius Walæus Philo-  
 phiam ad Theologiam dirigere cupiens perpetuo magni Theo-  
 logi consilio arbitratus est se indigere, idcirco cum bona Spranckhuysii venia hospitium mutavit, & ad Francisci Gomari mensam accessit; cubiculum in proxima domo conduxit, in Gomari aedes migraturus, ubi contingenter aliquod vacare: quod post aliquot menses demum evenit. Florebant hoc tempore in facultate Theologica Franciscus Junius, Theologus profundæ eruditionis, gravis & judicis plenus: Lucas Trelcatius, solidus & excitatus: Franciscus Gomarus, Vir multijugæ eruditionis: aestimavit autem Walæus præ ceteris Junium, & ad illius exemplar se conatus est conformare. In vita Henrici Valesii, ejus conversatio cum eruditis præceptoribus admodum laudatur. Nam cum Jesuitæ Anno 1618. Ludovici Regis beneficio Lutetiae suas scholas aperirent, rediit hic Valesius cum fratre Lutetiam, & ad scholas eorum Parisiacas se contulit: ibi ut lumina splendebant Jacobus Sirmondus Ricomagensis & Dionylius Petavius Aurelianensis, ex quibus Petavium, Rhetoricae Professorem, uno anno audiebat; Sirmondum saepè quoque convenit, quos ambos postea constanter coluit simul & amavit. Georgii Majoris conversatio cum Lutherò & Melanchthonè non minus laudatur, quibus usus est præceptoribus. Cum utroque ita familiariter versatus est, ut quoties vellet utrumque adiret, & quæ opus erant, interrogaret; ut privatim inter se conferentes de præcipuis doctrinæ controversiæ capitibus audiret, & judicia ipsorum cognosceret. Nonne Johanni Brentio laudi dicitur, quod inclytos præceptores sibi elegerit; quibus studia sua dirigentibus anno ætatis decimo quinto primâ Philosophiæ laureâ est ornatus. Usus est porro præceptoribus in artibus Theobaldo Billicano, Johanne Knellero; in græcalingva Johanne Oecolampadio; in Hebræa Judæo quodam Hispano Matthæo; in Theologia Doctore Petro Scheibenthal, Doctore Georgio Nigri, & alio quodam Doctore Marco: quos

I

omnes

omnes non tantum audivit, sed & finitis lectionibus familiariter se illis multa rogando perpetuo junxit. Ita & Ægidius Hunnius cum Præceptoribus familiariter egit, uti in vita ejus expressissima hæc verba extant: *se disciplinas ex ipsis lippidissimis fontibus, hoc est, ex sobriis & antiquissime notæ magistris hausisse.* Hæc tenus dicta sufficienter probant, nonnullos mirificis profectibus usi familiari Præceptorum frequenti inscholis & Academiis subinde eminuisse.

Exinde claram est, non infelices esse eos, qui solide feliciores in studiis reddimur:

Sic Rigaltius in vita Petri Pueruditos, sive cognatos, sive non tales, sibi studia sic dividebat, ut otii partem veterum Scriptorum commentariis evolvendis, partem chartis negotiorum publicorum disficiendis; interea vero amicorum officiis ultiro citroque colendis horas in dies singulos impenderet. Hanc NB. sibi disciplinam formaverat ad exemplum Thuani, quem imprimis observabat, & vicissim Thuanus cognati sui moribus & consuetudine oblectabatur.

Non tantum auscultatio in scholis & Academiis, sed & privata studiorum opera, & repetitio nonnullos fortis eruditorum præclaræ reddit participes,

§. XIII. Non minoris felicitatis particeps ille eruditiorum esse potest, qui præter ea, quæ a præceptoribus in scholis itemque Collegiis assidue percepit, industria simul privata domi repetit. Postquam Gul. Budæus Georgium Hermonynium maxime in Græcis; Jacobum Fabrum, nobilem Philosophum in Mathematicis disciplinis præceptores habuit; neminem præterea audivit, sed partim felicitate ingenii, partim assiduitate & diligentia cætera, quæ ad optimatum artium & utriusque lingvæ cognitionem spectant, est consecutus: de quo ipse Lascaris, et si Græci in communicanda sua cum exteris laude pariores sunt, tamen admiratus elegantiam Attici sermonis, quam scribendo feliciter exprimebat, dicere saepe solebat, (ut scribit Lazarus Baylius,) quod olim de Cicerone Apollonius dixit, nempè doctrinam & eloquentiam, quæ sola Græcis erant relictae, sic per Budæum hoc tempore in Galliam esse perlatas, ut olim per

Ci-

Ciceronem eruptæ languenti Græciae, Romam advenerant. De Conrado Lycosthene memoria refertur, quod non minus Theologorum ~~et~~ studiose frequentaverit, sed & domi sacrī diu noctuque operatus fuerit: cuius privata industria itidem ex hoc conspicua fuit, dum cum Theologia studio historiarum occulto quodam naturæ inflammatus igniculo cognitionem conjunxit, temporum series conferendo, regnorum periodos annotando, res gestas, moresque singularum gentium observando. Georgii Sohnii ardor adolescentiæ privata simul industriæ Wittebergæ conspicuus non satis exprimi potest. Nam vix dici potest, quantopere die nocteque studiis partim Philosophicis, partim Juridicis, partim, denique Theologicis incubuerit, in iisque evolvendis desudarit. Ideoque præceptores suos, aliosque doctissimos Viros in admirationem duxit.

**S. XIV.** Uti dona DEUS vario modo distribuit, ita splendorem ipsorum maxime in variis scholis & Academiis copia virorum eruditorum dotibus ejusmodi ornatorum refertis cernimus; ut adeo adolescentibus laudi sit ducendum, si Scholas alias imo peregrinas sint visitaturi; quo visitationis ardore formem aliquando inclytam præ se ferre possunt. Benedictus Aretius Bernæ Helvetiorum natus in patriæ scholis bonis literis excultus ad exteris abiit nationes, tum ingenii expoliendi, tum judicii varia rerum experientia firmandi causa: ibi tum cum ad Cattorum Academiam, quæ Marpurgi floret, appulisset, in ordinem Philosophorum Professorum adscriptus Logicen, limam illam ingenii & normam veritatis studiosæ juveni-  
tuti explicuit.

**S. XV.** Gradus Scholastici ad industriam incitantes ad inclytam sortem multum faciunt. Brentii tempore cum essent parum æqui literis, aut honorifice de gradibus scholasticis sentientes, prorsusque abrogandos dictitantes: gravissime se illis opposuit Brentius, veterem Ecclesiæ consuetudinem ostendens, & historiarum & canonum monumentis confirmatum:

præmiis ma- ne sine publico piorum & probatorum Doctorum testimonio  
jori diligentia ulli ad docendum admittantur, & hoc modo ordine disci artes  
se postmodum commendent, humano generi & vita utiles: excitari etiam ad majorem di-  
& aliis cele- ligentiam juventutis ingenia propositis laborum præmiis.  
briores evar- Hoc modo illis perswasit, ut suam relinquenter sententiam:  
dant. pariterque apud Principem obtinuit, ut in Tübingerſi ſchola  
renunciationes graduum, qui aliud non ſunt, quam publicæ  
eruditio[n]is, pietatis & virtutis testimonia, remanferint. Ex-  
inde patet, quod Brentius eruditorum ſortem inclytam aſti-  
mans fuerit φιλόπονος καὶ φιλομοθής.

**Disputationes**

& ſpecimina

alia in Scholis

& Academiis

ſe reddunt clariores.

Aegidius Hunnius in Academia Tubin-

ſolenniter in-

ſtituta ad clas-

ſem & ſortem

in facultate Theologica doctores audivit:

concionibus ſacris

non exigua

diligentissime

interfuit: disputationes Theologicas nullas ne-

nōnullos li-

terarum ſtu-

dios ſueunt.

§. XVI. Est omnino etiam insignis splendor eorum, qui  
disputationibus aliisque ſpeciminibus in Scholis & Academiis  
& Academiis ſe reddunt clariores. Aegidius Hunnius in Academia Tübingerſi, cum ad ſtudium Theologicum ſe applicuerit, annos octo  
ſem & ſortem in facultate Theologica doctores audivit: concionibus ſacris  
non exigua diligentissime interfuit: disputationes Theologicas nullas ne-  
glexit; in quibus etiam innumera ſpecimina diligentiæ, pro-  
fectus & ingenii acuminis edidit. Princeps Wirtembergicus  
Ludovicus hunc Hunnium Tübingerſe Sacris concionibus poſt-  
modum praefecit, & quidem ideo, ut NB. cum exercitationibus  
Theologicis conjungeret lectiones Praeceptorum & ad ſolidam  
rerum & controverſiarum Theologicarum notitiam per-  
veniret.

**Summa: in**

**Scholis & A-**

**cademiis in**

**timore Dei**

**diligenter au-**

**ſcultando, le-**

**gendendo, colli-**

**gendo, evolu-**

**ndo, colligendo &c.**

**incrementa pul-**

**chra & fortis**

**in ſignia acqui-**

**ſti possunt.**

§. XVII. Quemadmodum autem principium sapientiae timor est; ita in timore auscultando, legendō, evolvendo & colligendo &c. incrementa laudatissima ſperari poſſunt. De Philippo Nicolai refertur, quod heroicum ipsius zelum egre-  
giasque animi dotes, magna morum & vita æquaverit ſancti-  
monia. Quod enim de Timotheo Paulus ſcribit, iſum a pue-  
ro in ſacris literis ſuiſſe iſtitutum, id iſum in hoc Philippo  
Nicolai parentum honestiſſimorum domēſtīca disciplina & Præ-  
ceptorum iſtitutio feliciter comprobavit. Experientia ege-  
ria itidem exempla nobis ob oculos ponit: nonne enim quo-  
tidie

tidie videmus, pios, sanctimoniae studio a pueritiae annis deditos, eosque vilissimos & coram mundo abjectissimos præstantissimam saepe sortem pra se ferre, utpote qui ad officia præclarissima præ aliis nulla pietate & scientia præditis, eliguntur.

## CAPUT SECUNDUM

De

### Itineribus, quæ studiorum gratia cupidissime instituuntur.

**P**ostquam in Sectione secunda, quæ, ut dixi, tria nobis sicut capita, primum proposui, quod de profectibus in Scholis & Academiis agit mirificis; jam ordine sequitur secundum: in quo ad ostendendam præclarissimam eruditorum sortem mentio fit itinerum, quæ studiorum gratia cupidissime instituuntur.

§. I. Præclarissima rerum doctissimarum & Scriptorum selectorum documenta reperi in scholis, bibliothecis &c. quas saepe visitant literis dediti, non est, quod dubitamus. Nam Syntagma Scriptorum egregia maxime in bibliothecis saepe exhibentur conspicienda, ex quibus thesaurus in editorum insignis exhaustiri potest. Hinc inde clarum est, ejusmodi eruditos, qui peregrinando varia aliis non obvia lustrant, præclarissimam pra se ferre sortem; unde enim notitia librorum saepe præstantissimorum? hæc ornat hominem eruditum, cum rerum sublimium & arcanarum cognitionem sibi comparaverit.

§. II. Polyhistoris saepe nomen eruditus Historiam, Geographiam, Topograph. aliaque ad insignem notitiam facientia in itinere addiscendo, consequitur. Exemplo Andreæ Gerardi Hyperrii id clarissime patescit, qui in juventute sua maximo lustranda, rum aliarum regionum ac provinciarum Galliæ desiderio datus intra triennium universam fere Galliam, magnamque Italiæ

In itineribus copiam rerum doctissimorum, & Scriptorum selectorum consequuntur, qui eruditissimi possunt, visitantes imprimitur, mis scholas, bibliothecas &c.

Historia, Geographia, Topographia, aliaque ad insignem notitiam facientia simul itineribus innote scunt,

liae partem, eam videlicet, quæ inter Alpes est, & Bononiam perlustravit. Reversus postea est in patriam, sed mox Lovaniū perrexit, quo bibliothecam suam ex Gallia vehendam curaret. Peragravittum temporis animi causa totam fere inferiorem Germaniam, Geldriam videlicet, Frisiā, Trajectum, Hollandiam, Seländiam. Hinc ætatis suæ vicesimo sexto ad visendam superiorem Germaniam animum induxit, ut celebriores in ea Scholas & in his Viros doctos videret. Videlit itaque eo anno Coloniam, Marpurgum, Erfordiam, Lipsiam, Wittebergam &c. Et quamvis ad tempus ab itineribus abstineret, cœpit tamen iterum ad eadem animum convertere, ac in Britanniam navigavit, ea ratione, ut eos maxime viros cognosceret, quorum nomina literis erant consignata. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo, mense Julio Monticū sumtibus Academiam Cantabrigensem invisit; porro Academiam Oxoniensem veterem, unde Londinum venit: non paulo post Antwerpianam appulit, ut reliqua taceamus itinera. Quis igitur Gerardi non minus intentionem fuisse tot loca invisere, quam ipsum Historiæ imprimis literariæ, Geographiæ, & Topographiæ cognitionem imbibisse in dubium vocarer? Proinde fortē ejus tunc temporis eruditorum æstimaverim non postremam.

Lingvarum  
notitia pere-  
grinando et-  
iam acquiri-  
tur.

§. III. Nec minori famæ & sortis encomio prædican-  
tur, qui in itineribus lingvarum notitiam acquirunt; nostro  
qui tempore peregrinando visitarunt Ezardum, splendidissima  
exitere hactenus eruditorum sidera. Eorum autem mentio-  
nem facere clariorem nolo, ne blandimenti speciem præ me-  
feram.

Animus itine-  
ribus susceptis  
ad hanc vel il-  
lam scientiam  
mirifice exci-  
tatur, quam  
varii eruditio-  
rum obveni-

§. IV. Excitantur eruditii peregrinantes ad hanc vel illam  
scientiam; dum enim eruditorum exterorum varia eaque sæpe  
mirifica dona intuentur, varia scientiâ hisce donis adjuta elu-  
cente, stimulus in ipsorum mentibus exoritur, ita ut majori de-  
siderio scientiis proficiant. Decus erat insigne Casparis Bor-  
neri adhuc adolescentis, utpote qui literaria suscepta peregri-  
natio.

natione in Italia Mathematum cognitionem non vulgarem entium donis perspiciens ardore summo eandem itidem adspiravit. Quo variae scientiae factum est, ut fortis eruditorum eminentis particeps fuerit jucundatus.

§. V. Peregrinationis fructus etiam in eo se exerit, quod peregrinatio varia durante ea animo imprimantur, quæ occasionem dant prodest ad multa auditu digna in conversatione proferendi. Discrimen conversationem in futurum institutum. enim eruditorum incidunt in oculos, quando in conversatione sœpe ille eruditus, qui itinera fecit, tam de Viris eruditis, cum quibus familiariter egit, quam de manuscriptis aliisque documentis, quæ in itinere vidit, verba facit; ubi contra horum expertos silere tenetur. Exempla e monumentis historicis adducere supervacaneum duco.

§. VI. Porro fructus non exiguis est redundans ex itineribus, notitiam eruditissimorum, & commendationem consequi. Quod exemplo Erasmi Roterodami doceri potest, qui in Epistola ad Servatium ita de se scribit: *Nec ulla est regio, nec Hispania, nec Italia, nec Anglia, nec Scotia, que me ad suum non invitet hospitium. Rome nullus erat Cardinalis, qui me non tanquam fratrem acciperet, quum ipse nihil tale ambiret: precepit vero Cardinalis S. Georg. Cardinalis Bononiensis, Cardinalis Crymanus, Cardinalis Navetensis, & hic ipse, qui nunc Pontifex maximus est; ut ne dicam de Episcopis, Archi-Diaconis & viris eruditis.* Atque hic bonos non tribuebatur opibus, quas etiam nunc habeo, non desiderio, non ambitioni, a qua semper fui alienissimus, sed literis duntaxat, quas nostrates rident, Itali adorant: *in Anglia nullus est Episcopus, qui non gaudeat a me salutari, qui non cupiat me convivam, qui nolit domesticum.* Rex ipse paulo ante parris obitum, cum essem in Italia, scripsit ad me suapte manu literas amantissimas, nunc quoque sœpe sic de me loquitur, ut nemo honorificentius, nemo amantius, & quoties eum saluto, blandissime amplectitur, & oculis amantissimis obtuetur, ut intelligas eum non minus bene de me sentire quam loqui. *Can-*  
*ma-*

tuariensis, Archi-Episcopus totius Angliae Primas & regni hujus Cancellarius, vir doctus & probus, me sic complectitur, ut si Pater essem aut frater, non posset amantius: Sunt, pergit, duæ Universitates Oxonia & Canterburyia, quarum utraque ambit habere me: nam Canterburyæ menses complures docui græcas & sacras literas, sed gratis, & ita facere semper decretum est: Est Londini D. Job. Coletus, D. Paul. Decanus, Vir, qui summam doctrinam cum admirabili pietate copulavit, magnæ apud omnes autoritatis: is me sic amavit, id quod sciunt omnes, ut cum nemine vivat libentius, quam mecum. hoc usqne verba ejus. En igitur insignem notitiam & commendationem, quam instituto maxime itinere eruditione inclitus sibi acquisivit.

*Itinera eruditio-  
nem crebra  
variarum sci-  
entiarum oc-  
casione red-  
dunt facilem,  
ita ut sortem  
incolytam iis-  
dem acquirere  
non sit diffi-  
cile.*

§. VII. Itineribus eruditionem exquisitam & comitan- tem sortem felicissimam facile obtineri posse a nonnullis eru- ditis, non diffiteor: Petrus Bembus in Siciliam usque ad Con- stantinum Lascarem græcarum literarum causa profectus, ibi insigniter profecit, nam finita ea peregrinatione celeriter asse- cutus est, ut maxima apud omnes Italiae civitates ejus esset in- genii admiratio. Eo enim peregrinando profecit, ut unus duobus linguis scire, ornate & copiose usus fuerit, quod & la- tina & Italica oratione præstítit, quod omnibus permirum fuit visum. Hinc adhuc hodie multi nullam eruditionis perfe- ctionem impetrari posse arbitrantur, nisi Italianam, Galliam, An- gliam &c. petiverint: quod omnino magni æstimandum est, nam in itineribus non tantum viri docti, sed & bibliothecæ, inque iis scripta elegantissima reperiuntur. Idcirco & Erasmus Roterdamius cupiditate multa discendi commigravit Lovanium, cum antea hac intentione Angliam visitasset. Por- ro petiit Italiam: cuius adeundæ desiderio semper arserat. Egit paulo plus, quam annum Bononiæ jam vergente ætate ferme quadragenarius: Inde contulit se Venetias, ubi adagia eum reddidere celebrem; inde Patavium, mox Romam, quo jam fama præcesserat mirifica. Non defuisse amplior ad itinera

itinera faciendum fortuna, nisi mortuo Rege Henrico VII. & Successore VIII. amicorum literis amplissima pollicentibus revocatus esset in Angliam: quæ itinera omnia effecere, ut postmodum Caroli Cæsaris Consiliarius evaserit, & quidem opera Johannis Silvagii Cancellarii magni. Ad quam dignitatem stupenda eruditione itinerarybus imprimis cumulata erectus est.

§. VIII. Quemadmodum autem non tantum literis, sed <sup>Præterea</sup> promtum ac habere eruditus debet, quo peregrinando optime discit. Hinc <sup>aptum red-</sup>  
Balthasar Meisnerus, priusquam Philosophiam moralem Wit- <sup>dunt itinera,</sup>  
tebergæ apprehensurus esset docendam, animum ad peregrina- <sup>quando (a)</sup>  
tiones adjecit varias perlustraturus Academias, ubi se summis Viris mirum in modum probavit.

§. IX. Felicitas autem eruditii non minus in moribus suis <sup>(b)</sup> quando moderandis, quam etiam alios cognoscendis consistit; Ideoque homines co- itinera magni habentur, quæ notitiam aliorum eorumque inge- rumque inge- niorum afferunt: qua ratione de Andrea Gerardo Hyperio di- docent, citur, quod alias regiones & provincias Galliæ lustrare desideraverit, non tantum, ut lingvam gallicam disceret exactius, sed ut mores totius illius gentis cognosceret diligentius.

§. X. Quæ omnino eo collimant, ut ostendatur, erudi- Itinera proin- tos itinera instituentes aliis esse acceptos, quippe qui amoris defaciant, ut multorum evadunt participes: quod jam supra exemplo Erasmi amentur eru- declaratum est. diti, in quo præclara co- rum fors simul consistit.

## CAPUT TERTIUM De Conversationibus, quibus ad excellen- tem notitiam eruditii pervenire possunt.

Superiori §. exposui, qua ratione itinerarybus eruditii se claros reddere, & sorte in præaliis celebrem acquirere possint; in

præsenti §. eminentiam aliquam conversationibus adscripserim. Me hactenus in explicatis itineribus de conversationibus insimul multa verba fecisse, negare non possum: ast, quum tantum id incidenter factum sit, non possum non, quin peculiare de conversationibus caput constituam.

Discrimen inter pauperes & divites LL.  
Studioſos indicatur.

§. I. Ut pauperies sæpe impedimento est, quo minus conversatio cum aliis institui possit; ita divitiae & opes conversationem cum aliis promovent: priori in statu LL. Studioſi in oculis aliorum vilissimi habentur, neque sæpe digni, cum quibus conversatio instituatur; & quis facile divitiarum exortes ad mensam admittit, ubi occasioneē erudita percipiendi habituri essent? a qua vero exclusi etiam a multa excludentur scientia: posteriori autem statu acceptissimi sunt, non difficulter invenientes eruditissimorum Virorum mensas & informationem. Hinc sors eruditorum præclara dici potest, quæ subsidiis adjuvatur.

Conversatio ſortem eruditorum adjuvans, non tantum tan-

xerim de conversatione in primo literarum tyrocinio perspecta, tum in primo (qualis Scævolæ Sammarthani fuit, qui a primis literarum annis literarum tyrocinio, fed & socios & amicos habuit) sed de conversatione in scholis alporro in scholioribus & Academiis conspicua; qualis itidem Scævolæ Sammarthani & academis se nonnunquam ostendit, de posteriore conversione h. l. a. gitur.

ingenia non raro clarescunt, quando conversationem ad studia promovenda adspirant eruditam; non jam dixerim de conversatione in primo literarum tyrocinio perspecta, tum in primo (qualis Scævolæ Sammarthani fuit, qui a primis literarum annis literarum tyrocinio, fed & socios & amicos habuit) sed de conversatione in scholis alporro in scholioribus & Academiis conspicua; qualis itidem Scævolæ Sammarthani & academis se nonnunquam ostendit, de posteriore conversione h. l. a. gitur.

Pictaviensi Jurisprudentiae incubuit, præter hanc etiam Poëſin imbabit, & talem ejus ideam sibi mente efformavit, ut Lutetiam reverteretur, quo hisce studiis & aliis, quibus acria ingenia aspescunt, melius vacaret; qua etiam confuetudine doctorum hominum, quibus urbs illa tunc temporis aburdabat, magis magisque proficeret. Ibi primum magni illius & incomparabilis scientiarum ac lingvarum Viri Josephi Scaligeri familiaritatem init: amicitia quoque conjunxit sibi Claudium Espenceum, Johannem auratum, Petrum Ronsardum, Johannem Antonium Baisium, Johannem Passeratium &c. vide plura

plura in vita ejus a Gabriele Michael. Rupi-malleto de-scripta.

§. III. Amplissimae sortis participes se reddere possunt illi, qui virorum doctorum domum & mensam quotidie frequentant. Leydae magni Scaligeri ad mensam accedebat Molinæus, utpote qui Scaliger plurimos convictores præcipue nobilitatis habebat, cum Pontificios tum Protestantes: unde Molinæo oblata fuit occasio multos insignes amicos acquirendi: ex hoc numero fuit Castanæus Rupiposæus scriptis præclarissimis notus.

Hic positis clarissime patet Molinæum hac in re fuisse felicissimum, quia ad Scaligeri mensam ductus fuit. Talis mensæ usus sortem prædicit amplissimam, nam multa rogando multaque audiendo quotidie præstantiores evadimus. NB. Hanc sortem amplissimam etiam participare possunt illi, qui Præceptorum vel famulorum officium apud Viros doctos administrant. Horum exempla experientia nobis quotidie oculos ponit: Sermo autem est de LL. Studiosis dotes & industriam præferentibus.

§. IV. Præterea ex consuetudine cum illis, qui unitus professionis, præstantis scientiæ & industriæ sunt, colligi multa possunt bona. Ut enim non probantur, qui consuetudinem habent cum malis & segnibus, utpote qui contemptui sunt omnibus honestis eruditis; ita spem faciunt, & laudantur, qui con-grediuntur quotidiana consuetudine cum sociis bonis & industriis. Hoc intuitu Vincentius Pinellus Antonium Quæren-gum Can. Patavinum dilexit, unice allectus similitudine doctrinæ & morum, quibus savissimus erat. Cum hoc Quærrengi eximie amavit Claudium Puteanum Nob. Gallum, sibi etiam adæquatum, cuius non fictæ laudes & amplissima munera recensentur a Jacobo Augusto Thuano, cuius verba sic sonant: *Arctissimam in Italia amicitiam coluit cum Vincentio Pi-nello, omni literarum genere ac rerum cognitione viro excultissimo & Philologorum fauatore eximio, quam crebris officiis, postquam*

*domum rediit, semper renovans ad mortem usque servavit.* Ex quibus clarissime patescit, vim arctissimæ amicitiaæ omnino in similitudine doctrinæ & morum constitisse: quæ amicitia reciproca de utriusque sorte eximia quasi divinavit.

Laudantur &  
illi, qui occa-  
sionem eriam  
cum eruditissi-  
mis ad audi-  
enda & tenen-  
da recte viven-  
di salubria  
dogmata qua-  
runt.

§. V. Sorte itidem florent præ aliis præclarâ, qui occasio-  
nem querunt eruditissimorum etiam præcepta audiendi, & sic  
recte vivendi. Cum de Pico Mirandula gloria statim fama  
& per vicinas & per remotas oras volitare cœpisset, plures ex  
Philosophis ad eum tanquam mercaturam bonarum artium  
confluebant, vel ad commovenda literaria certamina, vel qui-  
bus inerat rectior mentis sententia, ad audienda & tenenda  
recte vivendi salubria dogmata, quæ tanto magis expeteban-  
tur, quanto ab homine docto & insigniter morato proflue-  
bant.

Discrimen est  
inter ingenia,

§. VI. Cum ingeniorum varia sit ratio; alii conversa-  
tionem, alii solitudinem ament; non male statuimus, etiam  
illos ad sortem inclytam pervenire posse, qui vitam sâpe soli-  
tariam degunt. Hieronymi Savonarolæ exemplo id doceri  
potest, cui consuetudo cum aliis fuit perrara. Sibi ipsi semper  
comes consuetudinem seorsim spatiandi amavit, fovendi ani-  
mi gratiâ, illudque frequentissime meditandi, maximam ho-  
minum partem laborare stultitia, ob id, quod finem, ad quem  
sit nata, aut ignoraret omnino, aut notum non procuraret ac-  
quirere. Propterea a populari cœtu & curiâ abstinuit, item-  
que ab aula Principis Herculis, qui Borsio Fratri successerat,  
abhorruit, ut non nisi semel tota vita in ejus arcem, quo cives  
omnes confluebant, introiret. Quibus rebus hic elegantissi-  
mam habuit occasionem eruditissima contemplandi & sic ad  
sortem eruditorum laudatissimam pertingendi. Quilibet  
enim facile credit, eum, qui hortis aliisque locis separatis litera-  
rum rationem habet solitarius, ampliora persequi studia, quam  
illos, qui quotidiana lœtantur conversatione. Et eheu, quid  
faciunt, qui in scholis & Academiis consortia quotidie amant,

ne-

neglectis horis, diebus & annis, quibus proficere tenerentur : querelas admodum sero auditas fuisse nemoriam ipse revoco.

§. VII. Ad conversationem feliciter suscipiendam facit artificium, quo quis insinuare se potest in amicitiam aliorum : multi enim inepte se gerunt, nullis ad se commendandum do-tibus adjuti ; adeoque etiam forte inferiori harent ; contra sunt alii, qui mirificis donis hac in re gaudent. Henricus Bergensis Erasmus juvenem, cum ob ingenii svavitatem diu secum retinuerit, hic illo loco in multorum amicitiam sese insinuavit, imprimis Antonii Abbatis apud divum Bertinum, qui ex eadem Bergensi gente ducebat originem, & Jacobi Battii, qui Senatui urbis Bergensis fuit a Secretis, ad quem multæ ejus extant epistolæ. Quo commendationis genere Erasmus præcepta, quæ olim audivit, insigniter secundavit.

*Insinuandi ar-tificium com-mendatur.*

§. VIII. Amorem reciprocum excitare tenentur literis dediti, consuetudinem inter se habentes, si studia ipsorum fors pulchre futura consequatur. Amore enim certatim exhibito multa addisci possunt, quia sic fidissime se invicem do-cent, & industria indefessa in studiis simul pergunt. Talis amor certatim conspicuus erat inter Erasmus & viros doctissimos, nempe Gulielmum Grot. Thomam Linacrum, Gulielmum Latimerum, qui in Italia literis operam dederant, item: Jo-hanneum Coletum, Thomam Morum, Richardum Pacaeum & Cutbertum Tonstallum : Erasmus ab his omnibus certatim, & hi ab Erasio amabantur.

*Certatum in conversatione amari requiri-tur.*

§. IX. Sæpe peregrinando scholas & Academias visitant, qui conversationem cum eruditis cupiunt. Christophori Longilii laus hac in re insignis est, qui inter alia Britanniam, inclitam Insulam videre voluit, adductus famâ eorum, quos præter cæteros illuc græcis literis & latinis eruditos omni liberali & ingenua doctrina pollere audiverat. Quæ cupiditas ob conversationem invisendi scholas peregrinas literatos omnino celebriores reddit ; quippe non negandum est, nobiscum etiam multos esse, qui non tantum nostras Academias, sed etiam ex-

*In peregrinis scholis optima sæpe occasio suppeditur, conversationem instituendi.*

traneas petere satagunt, nullo alio fine, quam ut conversatio-  
nem tam præceptorum inclytorum quam commilitonum in-  
dustriorum inveniant.

**Conversatio**  
cum piis, eru-  
ditis & indu-  
striis institu-  
enda est, quæ  
fortem præ-  
claram acqui-  
rit.

§. X. Uti clara fama florent illi, qui varia erudita cum peregrinis etiam exteris agitant; ita indicium famæ maximæ futuræ gloriose est, quando cum piis, eruditis & industriis con- versatio instituitur. Pereunt sane, qui associant se levissimis, nam noscitur ex socio &c. e contrario magnæ spei homines sunt illi, qui rem cum probis, eruditis & industriis habent. Qua ratione Pinellus Tridentum petere decrevit, ut ibi sapientissimos & religiosissimos orbis christiani viros & agnosceret & audiret.

**Amabiles in**  
conversando  
facilius quam  
morosi pro-  
vehuntur ad  
dignitatem.

§. XI. Amabilium in conversando fors superat morosorum conditionem; in illis enim multa sunt, quæ amorem doctissimorum conciliant, qui postea varia erudita in hos amabiles derivant; in his vero nulla est commendatio: ideoque svavitate morum & ingenii praestantia quemlibet eruditum summis & infimis charum esse liquet. Petri Bembi encomium hac in re est summum, de quo dicitur, quod inter alios ex omni Italia convenientes doctos multa habuerit, quæ ad hominum animos conciliandos plurimum facere potuissent; nam miram in moribus svavitatem quandam & lenitatem amabilem habuit.

Postquam igitur in Sectione secunda ætatem eruditorum secundam seu medium exposui, jam ordine perlustranda venit

## SECTIO TERTIA.

De

### Sorte Eruditorum in ætate tertiarâ seu ultimâ conspicuâ.

**Q**Via autem in hac tertiarâ ætate eruditii innotescunt scriptis clarissimis, institutis inclytis, celebratione famosa, hono- ribus

ribus & encomiis post mortem ipsis residuis: in quinque proinde capitibus hanc tertiam sectionem consistere constat.

## CAPUT PRIMUM

De

### Scriptis clarissimis, quibus nonnulli eruditi præ aliis florent.

**I**Nficias equidem non iverim, scripta quoque ab eruditis in **at**tate media edi; sed cum id exercitum scribendi maxime absolutis in scholis & Academiis studiis suscipiatur, ideoque spe- ciali ratione ad atatem tertiam retuli.

§. I. Negari non potest, nonnullos eruditorum reperiri, *Scripta, quæ in hac at<sup>e</sup>tate produnt eruditum, non minima furent,* qui infinita opera vi donorum sibi a DEO concessorum elabo- rant. Erasmi opera stupenda ob oculos omnium eruditorum ponuntur, de quo B. Rhenanus in præfatione ad Carolum Cæ-nus multa farem ita scribit: *Quis a mille annis extitit, qui plura scriptit tam in sacris, quam profanis, tanta humanioris literaturæ peri- tiâ perpolitus? Cujus libri in longinquas provincias frequentius exportati sunt, & avidius leœ? Denique quem omnium natio- num eruditii magis coluerint, observarintque.* Sortem autem suam præclaram ratione scriptorum ipse Erasmus ostendit, quando eorum catalogum epistola Hectori Bœotio Deidona-no missæ subtexit. Est omnino index lucubrationum amplissimus, multos Tomos exhibens, in quibus admiranda scripta continentur, adeo ut multijugæ eruditionis virum doctissimi æstimaverint. Qui de eruditis maxime Theologis, quorum admodum multa extant opera, plura cupit legere, evolvat Spi- zelium.

§. II. Non tantum autem multa sæpe edunt scripta eru- diuti, sed & quæ exquisiti sunt argumenti. *Quanta scripta, quam exquisiti argumenti.* Quantique ea argumenti ediderit Vinc. Pinellus Patric. Ge- nuensi.

nuens. patet e verbis Qualdi, in quibus illum reconditarum rerum apparatum congesisse, sicque omnibus satis fecisse expponit. Hinc Sigonius ad calcem aureorum librorum, quos inscripsit de regno Italiae, haec verba habet: *Johannes Vincentius Pinellus, vir plane in omni studiorum genere singularis, non solum pretiosissimum ingentis sue bibliotheca thesaurum totum explicavit, sed nullum etiam diligentie & impensa officium in hoc opere provehendo reliquit.* Quid eruditionis, quid rerum solidarum, quid eximiae doctrinæ Theologicæ scripta contineant D. Justi Feuerbornii, notissimum est: quantum laboris tum in *neuroscopio* sua Christologica, tum fundamentali adversus Casellanos deductione, tum in Anti-Enjedino insumserit, quantas superaverit difficultates, quot nodos argumentorum dissolverit, paucum accurriatior operum laudatorum inspectio & collatio quemlibet docebit. Danhaueri, Hülsemanni & Chemnitii &c, scripta hac in re laude etiam sunt dignissima; nam in Danhaueri una linea deprehendes tantum argumenti, quantum alii in totis paginis tradidere; in Hülsemanno rerum animam invenies; pari modo Chemnitii argumentis eruditissima exposita, sunt omnium eruditorum oculis, ut sunt ejus loci Theologici, quibus integrum Christianæ doctrinæ corpus Ecclesiae Dei sincerae proponitur: pariter examen Concilii Tridentini, in quo præcipuorum capitum totius Papisticæ doctrinæ firma & solida refutatio est collecta: ut & judicium Chemnitii de controversiis quibusdam superiori tempore circa quosdam Confessionis articulos motis, editum per Polycarpum Lyserum. Ut alia summi judicii scripta taceam. Possem Feuerbornii, Glasii, Gerhardi, Carpzoviorum &c. scripta argumentis præclarisimis referta adducere, sed tempore & spatio exclusus hæc omnia omittō.

& methodi  
nervosæ.

§. III. Fatemur, multos præ aliis excellere methodis, divinisimis enim ingenii vi intellectus naturalis & judicij ordine aliquid disponere facillimum est; quo etiam artis genere sortem præclariorēm præ se ferunt eruditī. Leonhardus Lu-

the-

therus istud singulare habuit, uberrima in pauca egregiaque redigere compendia; vice versa diserte evolvere implicata, sine conatu, nullo labore, denique Sephistarum fallacias omnium exponere oculis. D. J. Conradus Danhauerus ordine & methodo maxime adjutus difficultates omnes superavit & palmam veræ & solidam Doctrinæ celeriter hac in re est consecutus: hic etiam certam instituendorum studiorum rationem habebat, qua sua semper de menfus est studia, utpote qui intelligeret, ea, quæ ordine instituuntur, minore laboris & temporis impedio absolvi posse. Proinde etiam facile sortem Eruditorum excellenter obtinere potuit.

Possem equidem caput peculiare de rarissimis Bibliothecis inserere; sed brevitatis causa huic capiti primo nonnulla de ejusmodi materia annexere constitui.

§. IV. Non raro apud Eruditos Bibliothecæ reperiuntur Bibliothecæ, probatissimæ, quas non tantum, dum vivunt, usurpant, sed quibus autographa alia. etiam post mortem relinquunt, ad instar documenti eruditio- que scripta reperiuntur nis celeberrimæ; in quibus etiam multa sæpe autographa sunt recondita. Borromæus jun. Cardin. cum insigniorum Viro- insignia, non- rum autographa schedia discuteret, uni Pinello negotium de- nullos erudi- tult, qui diu gravissimeque ægrotans, brevi tot nobilium Scri- torum idem reddunt cl- ptorum manus concessit, ut & Cardinali multa transmiserit, & riſſimos. sibi non pauca in Bibliothecæ ornamentum reserverat: Cujus re gratia hæc ad Pinellum Josephus Scaliger:

Duo autographa Patris tibi mitto, fragmentum Epidorpidum, & indicis cuiusdam, quem locupletissimum in Galenum confecerat, ut una operâ perspiceres, quæ fuerit ejus Æxegia tam in mundo, quam in litura. Libros idem & a Pinello sibi comparari exoptans, ita scribit: nos magna in penuria librorum sumus, qui in manibus sumtibus bibliotheculam nobis paramus. Neque vero nos tam charitas afficit, quam raritas, quæ hic accedit premium eorum librorum, quos alibi copia viles facit. Itaque sepe cogimur inviti ad opem amicorum confugere, quod fecit, ut & tuam implorarem. Itaque quanquam

sentio, quam incivilem rem faciam, qui tuas meliores curas morer, ut de meis rebus adjutorem parem: tamen nisi grave est, oro te, ut tua operâ Iudei curent mihi illos libros, quorum nomina in Schedio seposui. Ego frustra illos libros in Germania, Anglia & Italia conquisiui; & infra: non satis est semel perficuisse frontem, nisi rursus orem te, ut si qui numimi priscorum Principum Scaligerorum reperiri possint, quales apud Patrem vidi, eorum aliquod, aut unius saltē copia mihi fiat, quod mibi non solum majorum meorum, sed etiam tuo nomine charissimum nequidam erit. Ex hisce patet, eruditos saepe non tantum a se invicem libros & scripta mutuatos esse, sed etiam numimos sibi invicem curas, ut Bibliothecæ comparari potuerint instructissimæ; quo nomine Pinelli & Scaligeri conatus erant satis laudati, quod sortem inclytam ipsis conciliavit.

## CAPUT SECUNDUM

De

## Institutis Eruditorum inclytis, quibus alios superant.

**I**N hoc capite proponuntur exempla non minus eorum, qui Scholas & Academias instituerunt & in ordinem redegerunt; quam qui Ecclesiæ amplas reddiderunt, quæ instituta eruditorum præclarissima habentur: Possem etiam institutorum mentionem facere, quæ in Republica laudem virtutis dignissimam merentur; sed brevitatis studiosus hæc omnia omittam, tantum Scholas & Ecclesiæ respiciens.

**Exemplum Erasmi, scholas in Germania & Gallia celebres reddentes.** §. I. Dixi primum me Scholas respicere, quippe quas instituere & ornare pulcherrimum est, quod docet exemplum Erasmi: Hujus tempore in Germania & Gallia frigebant literæ Linguae latine parvam, græcae nullam scientiam habebant. Sed ecce statim, postquam editæ fuerunt Adagiorum Chiliades, & libri de utraque copia, velut in nebulis exorto sole emergere lingvarum peritia coepit.

§. II.

§. II. Gul. Budæi fama hac in re fuit celebris, de quo Ludovi-  
cus Rhey. commemorat, quod labenii Lutetiae Parisiorum rei li-  
terariae certissimum praesidium attulerit, existens tunc politiori  
doctrinae quasi legitimus tutor. Sic paucitate Virorum doctorum  
Angliae post truculenta tempora nota, Bernhardus Gilpinus tem-  
pore Elisabethæ Reginae observans egregia multorum studia in  
Scholis & Ecclesiis adjuvandis, ipse etiam provinciam, quam na-  
ctus erat, magno studio exornare satagit. Quapropter de Eccle-  
siæ seminario cogitavit, scholam exadficavit, instituitque stipen-  
dium magistro & hypodidascalo. Quo ausu universa Anglia fuit  
exculta; nam ex illa schola plurimi viri docti prodierunt, qui  
postmodum Ecclesiam laboribus suis & moribus honestissimis  
exornarunt.

§. III. Ulti Summerhard Tubingensem scholam suæ erudi-  
tionis fama longe lateque illustravit; ita Joh. Jac. Grynaeus Hei-  
delberga Basileam revocatus totus fuit in curandis Scholis & Aca-  
demiis; in quo scholastico officio scholæ Basileæ triviali cum aliis  
doctissimis Viris Bonifacio, Amerbachio, Samuele Grynaeo,  
Theodoro Zwingero, Felice Platero, & Christiano Ursilio ita li-  
terarum rationem habuit, ut idoneos præceptores constituerit,  
profectus discentium exploraverit, & pauperiorum inopiae suc-  
currerit. Verbo: id effecit, ut brevi tempore schola ea in ma-  
gnam juventutis frequentiam excreverit.

§. IV. Caspar Bornerus, qui olim Lipsiensi scholæ ad D. Tho-  
mæ octodecim annos præfuit, & inde ad S. Theologiæ studium se  
convertit, doctoralibus tandem in sublimi illa scientia insignibus  
ornatus, id unice egit, ut Academiæ incrementum quæreret; id  
eoque multo labore & ardentí intercessione effecit, ut Paulina  
ædes Academiæ accederent, & in collegium converterentur, in  
quo doceri posset. NB. In iis etiam ædibus postmodum institu-  
ta est oeconomia & instructa bibliotheca, quo translati sunt libri  
tum ex aliis tum ex Cellæ cœnobio veteri, & coempti novi quam  
plurimi. Quibus clarissime patet, Bornerum ornementum Li-  
terarum Lipsiense fuisse splendidissimum, utpote cuius institu-  
tum in schola & Academia ornanda ab omnibus doctissimis omni-

bus temporibus probatum est. Non minori laudis encōmio prædicator Dorschæus, qui in Academia Rostochiensi, ad quam exor-  
nandam a Serenissimo Duce erat invitatus, primo omnium cor-  
ruptos Academicorum mores emendavit, ac pristinum Reipubli-  
cæ literariae statum restituit, collegiis non tantum apertis, quam  
publicis dissertationibus institutis.

Johannis Bu-  
genhagii ad  
instituenda  
multa præcla-  
ra aliquoties  
vocati,

§. V. Si ullus Vir eruditus ornatus fuit facultate instituendi  
præclara; sane Bugenhagius est, qui Wittebergæ evocatus formam  
doctrinæ & rituum & vocationis ministrorum Ecclesiæ Hambur-  
gensis descriptis; Scholam ibidem in cœnobio constituit; deinde  
Lubecam accersitus fuit auctor Senatui communis scholæ in Cœ-  
nobio D. Catharinæ aperiundæ: cuius primus Rector Hermannus Buscoducensis, Corrector Erasmus Sacerius Rostochio voca-  
tus fuit: Porro a Christiano Daniæ Rege ad piam doctrinæ reli-  
gionis, rituum Ecclesiarum & Scholarum constitutionem evoca-  
tus est.

Hactenus mentionem feci eorum, qui Scholas & Academias  
instituerunt, & in ordinem redegetunt; Jam considerabo illos,  
qui Ecclesiæ amplas reddiderunt.

Ecclesiæ red-  
didi amplas  
B. Lutherus.

§. VI. Eorum, qui Ecclesiæ amplas reddidere, princeps fuit,  
Deo auspice, Lutherus, quem merito lucernam ordinum &  
institutorum Ecclesiarum nostrarum prædicaverim. Superiori §.  
nominatus Bugenhagius pari fere ausu id præstítit, nam præter  
ea, quæ jam recensui, etiam illud notatu dignissimum est, quod a  
Bugenhagio præsente Rege Daniæ & regni Senatu Hafniæ in  
summo Templo in locum septem Episcoporum Regni Daniæ,  
septem Superintendentes, qui Episcoporum deinceps officium  
obirent & totius ordinationis Ecclesiæ custodes & executores es-  
sent, ordinatis sunt: Quo tempore Academiæ Hafniensi electiones  
præscripsit, & Ecclesiarum in utroque Daniæ atque Norvegiae re-  
gno ministros constituit, quorum fuerunt viginti quatuor millia.

En institutum laudissimum! quo sortem præ aliis non  
exiguam exhibuit Bugenhagius,

Amsdorffus.

§. VII. Ejusmodi donis instructum Amsdorffum noscebatur  
Lutherus. Cum enim hic Magdeburgi consilium suum de emen-  
datio-

datione religionis consuli Nicolao Sturmio, & de lectis civium exposuisset, Amsdorium se ipsis missurum ostendit, cui non secus ac sibi ipsi omnibus in rebus confidere possent. Amsdorius ergo voluntate Lutheri Magdeburgum profectus, Ecclesias ibi collega fido Doctore Eberhardo Widensejo, doctrinæ suæ voce & consiliis salutaribus totos octodecim annos rexit. Ibi etiam dum agit, Goslariam a Senatu illius Reipublicæ evocatus ordinem ibi rituum & doctrinæ in omnibus templis ad formam Ecclesiae Wittebergensis & Magdeburgensis instituit; inspectione Ecclesiarum Johanni Amando commendata, literario autem ludo Michaelae Volmetio præfecto.

§. VIII. Ecclesiam hinc Argentoratensem tempore celeberrimorum Schmidiorum, & Danhaueri, qui non tantum Professor Theologiae, sed censor postea, collegiorum Visitator, in summo Templo Pastor, denique conventus Ecclesiastici Praeses fuit; Dresensem & Lipsensem tempore Carpzoviorum aliorumque præstantium Virorum florentissimam fuisse, nemo erit, qui ibit inficias: quippe qui institutorum Ecclesiae proficuorum mirifice studiosi & amantes fuere. Ut alios silentio præteream.

## CAPUT TERTIUM De Celebratione famosâ, Eruditorum studia, scripta & instituta inclyta comitante.

### §. I.

**I**N amplissimis saepe regionibus & provinciis præconia nonnullorum eruditorum sunt singularissima, quæ aliis non continentur, licet non exiguae eruditionis laudem præ se ferre videantur. Sic Joh. Schyvelius præter lingua græca peritiam in Hebraicis ita excelluit, ut ex fontibus ipsis veritatem haurire aliquis imperare potuerit: tanta de eo fama per Germaniam increbuit, ut apud

L 3

pri-

Nonnulli celebrantur ita, ut per amplissimas regiones & provincias sint admirationis.

primarios Ecclesiæ Doctores ob acre in rebus Ecclesiasticis judicium, singularem erga veram religionem zelum, eximiam doctrinam, lingvarum scientiam & rerum experientiam in admirationem venerit. Itaque in amicitiam Lutheri, Melanchthonis, Gerbelii Senioris, Buceri, Capitonis, Hedionis, Zelli aliorumque celeberrimorum Virorum cooptatus est. Sic Facundia Martinum Frechtum, quem e Svevia prodiisse annales testantur, ita celebrem reddidit, ut statim fama de eo ad vicinos & finitos fuerit disseminata: quapropter & Ulmensis Respublica post Ecclesiæ suæ reformationem Frechtum ad se invitavit. Scævola Sammarthanus referente Gabriele Mich. Rupi-Malleto tantam sibi famam undiquaque comparaverat, ut non solum a quanplurimis diversæ fortis ac loci Gallis Episcopis, Senatoribus, Magnatibus, virisque literatis inviseretur, sed etiam ab exteris variarum gentium, quorum aliqui non minori cultu & honore illum conspexerunt, ac si coram venerandissimis mortalium Capitibus comparuissent. Quin etiam nonnulli principes & illustres Viri ex Italia, Germania & Anglia profecti, cum per Galliam iter facerent, laudabili hac curiositate ducti Sammarthanum adibant, cum Piætavii habitaret: sed super omnia sibi faustum & felix existimavit, quod paucis diebus, antequam hanc vitam finivit, Serenissimus Walliae Princeps (brevi postea magnæ Britannæ Rex) cum euentito habitu per hoc Regnum Hispaniam versus transiret, tanto honore eum dignatus, ut etiam domi suæ Juliодuni de industria visitaret, nec exiguum voluptatem ab aspectu tam illustris & spectabilis Viri sentiret. De Cambdeno ejusque celebratione hic etiam multa differi possent. Chytræ autem mentionem expressam facere lubet, cuius cum doctrina, virtus, diligentia, singularis in docendo dexteritas passim in vicinis locis innotesceret, Christianus III. Danicæ Rex cum aliis eum expetivit. Anno quinquagesimo quarto Electori Palatino Friderico secundo Philippi filio admirationi fuit. Taceo laudem Menzeri, quam habuit conspicuam in aula Serenissimi Principis Ludovici Senioris Hassiæ Landgravii; taceo & encomia Gerhardi, quem non tantum Praga, Lipsia, Witteber-

gæ

ga, Argentoratum, Rostochium, Hamburgum non una vice expētiverunt, sed & ipse Joh. Casimirus Princeps.

§. II. Negari etiam non potest, nonnullos eruditos ob eruditōnēm principib⁹ esse acceptissimos. Quo laudis encomio meretur efferri Chemnitius, utpote qui bibliothecā principis in- structissimā prapositus honestum in aula locum habuit. Duci Borussiā ob studiū Matheſeos, & Astrologiæ ſanioris, & ſingularem quandam in eo studiorū genere dexteritatem, & ~~euſorū~~ p̄cipue charus, eo nomine etiam a Marchione Brandenburgico Johanne in honore habitus fuit: plerique etiam, qui tum p̄cipui in aula fuēre Chemnitii amicitiam propter modeſtiā & ſimplicitatē ejus desideravēre. Taceo iam, quod poſtmodum non tantum a Principe ſuo Alberto multis ornatus, & dimiſſus; ſed etiam ut ſuam operam adhiberet, expeditus fuerit a Rege Da- niæ Friderico, ab Electoribus, Palatino Ludovico, Saxone Augu- ſto & Brandenburgico Johanne Georgio: a Principib⁹, Johanne Marchione Brandenburgico, Alberto Boruſſiaco & Julio Brun- ſicensi; quæ omnia ſatis teſtantur, hunc Chemnitium apud Prin- cipes fuſſe celebratissimum, cuiusmodi honoris ſplendor non obvius eſt omnibus. Quam celebrem habuerint Johannem Wi- gandum Comites Mansfeldenses, docet historia literaria, nam cum Senatus Magdeburgensis Wigandum in Superintendentem evocarent, refragabant comites, qui Wigandum judicabant re- tinendum: Princeps autem Wolfgangus Anhaltinus aliique ma- gni nominis Viri apud Comites Mansfeldenses iſtiterunt & tan- dem effecerunt, ut Wigando Magdeburgum commigrare liceret. Proinde facile colligitur, forte nonnullorum eruditōrum etiam hac in re eſſe ſatis celebrem.

§. III. Experientia etiam teſtatur, juniores ſāpe ob erudi- tionem eſſe celebriores atate grandibus, quo ſtatu ſortem in- clytam videmus. Hic mentionem Hülfemann facere teneor, qui poſtquam ſtati in juventute fundamenta vi indolis jecit in ſcholis trivialibus talia, quibus ſuperavit alios, celeberrimam A- cademiam Leucoream ſalutans ob eximiās & raras animi dotes a grandes ſupe- bonis rant.

bonis omnibus tantopere æstimatus fuit, ut defuncto hospite celebratissimo Theologo D. Friderico Balduino ad vacante Professorem Theologicam legitime denominatus & vocatus fuerit. In qua sparta talentum divinitus concessum mirifice collocans senioribus Professoribus palmam præripuit, & sic sortem suam præclarissimam ob oculos omnium posuit. Quod evidenter patuit in solenni congregatione Thorunensi, in qua solus Hülsemannus a Facultate Theologica Wittebergenſi nominatus partes directoris in hac congregatione in se suscepit: in quo colloquio Hülsemannus Decus t. t. Ecclesie adeo se commendavit, ut in aliis locis ipsius opera frui multi desideraverint. Hic etiam memorabile potest esse elogium, quo Heerbrandus Hunnium Marburgum abeuntem prosequi & exornare voluit. Nam cum ille ob rationes insignes vocationi oblatae parere non posset, sed Hunnium ætate adhuc quidem juvenem, sed doctrina & ingenio seniorem substituisset, imitari se dicebat exemplum Johannis Reuchlini, quem Erasmus Phœnicen trilinguem vocitabat: Is enim cum a primo fundatore Academiae Wittebergensis Friderico sapiente, Electore Saxoniae, ex Tübinger Academia evocaretur, ut nominis sui claritate scholam Wittebergensem tum adolescentem & obscuram, auctiorem magis & illustriorem redderet, justis vero de causis adventum recusaret, Philippum Melanchthonem succedaneum emisit NB. cum tali elogio: Hunc juvenem se senem longe superaturum esse. Id quod Heerbrandus ad se & Hunnium tunc temporis derivare non erubuit. Divinissima sane patescunt in hoc viro eruditissimo, nam ætatis vigesimo sexto Marpurgi Professor Theologiae declaratus, egregia pietatis & eruditionis dona tum concionando, tum profitendo non modo Professoribus Collegis, sed ipsi etiam Landgravio Ludovico ita approbavit, ut eum cum amplissima commendatione ad Ducem Wirtembergicum remitteret, ac peteret, ut in ea Academia summo gradu doctrinæ Theologicæ, quem Doctoratum vocant, ornaretur, in qua tantam eruditionis vim ante a sibi comparasset. Quæ hactenus declarata non tantum juniorum saepe eruditorum splendorem, sed & vim fati in iisdem singularis ostendunt.

§. IV.

§. IV. Praeclarissimam etiam sortem solent illi ostendere, quos ob egregia eruditionis dona Academiæ universæ insigniter laudant: quod & pariter Academiis ipsis in laudem cedit, utpote quæ, quod de membro eruditorum aliquo effertur, omnino participare possunt, quia ejusmodi virum indole illustrem tanta eruditione ornaverunt. Habent enim se tales Academiæ ut promi condi: uti enim hi esculenta rarissima saepe depromunt; ita illæ viros ornatissimos producunt, qui Ecclesiæ & Politiæ columnæ postmodum habentur. Taliū exempla mirifica prostant, hoc maxime tempore, quo Wittembergia, Lipsia &c. stupenda eruditionis viros emittunt in cathedralē & Forum.

§. V. Non etiam negaverim, virum eruditum non minus animi dotibus egregiis, quam stupenda eruditione nonnunquam adeo ornatum videri, ut nemo facile eum tantis æquedonis; ne autem abutar patientia lectoris, Hülsemanni olim Lipsiensis tantum mentionem facturus affirmabo, nullum hactenus virorum eruditorum, quantum ego scio, fuisse, qui huic se æqualem pronunciaverit.

§. VI. Urgeri etiam potest, quod admiranda saepe perficerentur, si huic vel illi eruditō vita diutius a Deo concessā esset. Christophorus Helvicus saepiuscule tantum sibi æratis optavit, quo omnium Lingvarum Orientalium absolutas Grammaticas & Lexicas conscribere, historias Ecclesiasticas in ordinem redigere, & Piscatorianæ Bibliorum versionis examinationem perficere posset: Sed voto suo eventus non respondit, cum subito vitam finiverit. Singularia enim dona, quæ hic eruditus possidet, alius saepe non habet: Sic noster Carpzovius olim Lipsiensis in Theologia exegeticā insigni suâ operâ egregia præstare potuisset, si adhuc vixisset. Quanta promiserit hac in re Pfeifferus in dedicatione, dubiis vexatis præfixa, legi potest, ibi enim animi sui sensa non nihil explicans hæc habuit in affectis nempe

Elucidarium sc. Biblicum,  
 Lexicon Sacrum,  
 Syntagma antiquitatum Sac. &  
 Alcoranum triumphantum.

quanquam hæc unius hominis humeris imponi non potuissent. Utinam modo notæ Biblicæ ab ipso promissæ ad loca intricata, perplexa & obscuritate quadam affecta perpetuae, plenæ, planæ & dilucidæ, succinctæ tamen atque strictæ prodiiissent, emolumentum insigne attulissent. Constat autem simul ex hisce dictis multum Psefforum prodesse potuisse, si diutius vixisset; I. et ipsum multorum invidiam sustinuisse non negaverim.

Celebrantur  
 etiam eruditæ  
 a locis nativi-  
 tatis, & habi-  
 tationis, & vi-  
 ceversa.

§. VII. In laudem eruditorum omnino etiam cedit, celebrari a locis nativitatis & habitationis. Sic Desid. Erasmus Roterodami in Hollandia, quam olim Batavi possiderunt, natus est; adeoque propter hujus indigenæ Erasmi incunabula est illustrissima. B. Rhenanus i. a scribit ad C. V. *Hoc alumno Roterodamum oppidum se semper jaetabit, & doctus erit commendatum;* quod & ipsi Erasmo glorioissimum fuit. Silentio hic prætereo Islebiam & Wittebergam, quarum quoties menatio fit, toties & recorcamur Lutheri Viri celebratissimi.

## CAPUT QUARTUM De

### Honoribus, quibus eruditæ eminentes ornantur.

**H**actenus equidem multa de honoribus eruditorum occurrisse fatur, sed eo modo, quo id ad celebrationem inclytam facere potuit: ideoque in superiori capite non tam honores quam antecedanea laudis encomia intellexerimus: in hoc præsenti autem capite animus est differendi tantum de honoribus, quibus eruditæ eminentes ornantur.

allegatur Pe-  
 trus Bembus.  
 §. I. Uti Petri Bembii eruditio merebatur insignes honores, ita Leo X. illam respiciens hosce ipsi contulit; nam præ alii eum accerfiri, munerique splendido præponi jubet. Magnam enim in spem, magnam in dignitatem vocabatur Bembus; proficisciatur igitur Roman, cum annis natus esset tres & quadraginta; præponebatur ob studia inclyta & dona præclara Epistolis Pont. Max. nomine scribendis, cui in munere gerendo dabatur socius & tanquam collega Jacobus Sadoletus is,

qui

qui postea Cardinalis factus est. Cum itaque Pontifici Bembus satisficeret, magno ab eo honore affectus fuit; adeo ut suo tempore præ aliis munere splendido ornatus res suas secundas eruditioni adscribendas non quidem ipse verecundia putaverit, sed alii judicayerint.

§. II. C. Contarenijam supra mentionem feci, qui, uti de eo memoriæ proditur, a Venetiis intuitu eruditionis & meritorum suorum ad Cælarem Carolum V. in Germaniam orator est missus; quod Legationis munus apud Venetos magnam habebat dignitatem, magnam ad summos honores, magistratusque adipiscendos commendationem. Ad hanc dignitatem mature ascendit; ubi & multarum & magnarum rerum diuturna tractatione, tot nationum naturis, moribus & institutis cognitis prudentiam insignem acquirens plures postmodum honores assequebatur, nam omnium admiratione aliis præferebatur & absens in Senatum legebatur, quo potestatem magnam & dignitatem eminentem obtinebat, quippe cui omnis Res publica commissa erat. Tempore autem administrationis Contarenus Brixiae etiam Praefectus renunciabatur, quem Magistri ratuni Veneri Capitaneum vocabant, non multo post, cum Roma rediret ad alios summos honorum gradus efferebatur, nam & sapiens magnus constituebatur & consiliarius, qui duo Magistratus summi erant apud Venetos, nec dubium erat, quin, si quis ex Marci Procuratorum collegio demortuus esset, ejus in locum Contarenus substitueretur; ea una procuratio perpetua Venetorum legibus est, quæ & unica ab honoribus hujus viri absuit. En igitur Contareni egregiam sortem honoribus splendidissimis conspicuam, quam præ aliis tunc temporis habebat.

§. III. De Erasmo notum est, quod inclytas provincias & urbes ipsi visitanti & postmodum Romam venienti ob insignem suam eruditionem Pœnitentiarii dignitas oblata fuerit, si Romæ manere vellet, quo ad altiora ascendere posset: quamvis vero id renueret, nihilominus tamen inde appareat, quod propter ingenii & eruditionis excellentiam multi eum desideraverint. Notandum autem hic est, Erasmo in juventutis annis honores præclarissimos fuisse oblatos; haec autem juventutis ratiæ non impedit, quo minus hosce Erasmi honores ad tertiam ætatem referamus; nam non tam ætatem annorum quam incrementorum, ut supra mouui, intellexerim.

§. IV. Henrici Valesii verba de Jacobo Sirmondo hac in re Jacobus Sirmondus: sunt notatu dignissima:

C. Contarenius.

Erasmus.

Ab

Ab omnibus, quorum in Europa ejus aetate vixerant, eruditis hominibus & cultus est & amatus. Quid igitur ei Viro ad summam felicitatem desuisse dicemus? qui & ingenium uberrimum soritus fuerat, cum Elia, ad quem eum vocasset, idoneum: & multiplicem rerum divinarum & humanarum noritiam, ac postremo omnium virtutum apicem erat consecutus. Cui vita longissima cum firma corporis valetudine nullis unquam morborum molestiis interrupta, cui otium & quietes non sine honore & dignitate, cui summorum Virorum amicitia & laudes affatim contingunt: qui regum & principum, qui tot eminentissimorum Cardinalium judicia promeruit. Ex his dictis Sirmundum tam splendore studiorum quam honorum floruisse luculenter appetet.

## CAPUT QVINTUM

De

### Encomiis post mortem eruditis residuis.

§. I.

De qua materia  
in futu-  
rum.

**A** nimus equidem erat, hoc quintum caput cum paragraphis multatis proponendi, laudemque eruditorum post mortem uberius tractandi: sed cum Schediasma aliquod historico-literarium cum Deo in futurum edere suscepimus, hanc materiam plenius ibi simul me expressitum promitto.

Unicum ex-  
emplum E-  
rasmi non se-  
mel citati ad-  
ducitur, cui  
post mortem  
laus reliqua  
sunt celebre-  
rima.

§. II. Ne autem lectorem omnis exempli expertem reddam, libet tantum Erasmi mentionem facere, de quo dicitur, quod defunctus amari coepit, superstites odio a multis habitus: oculi enim multorum tam amicorum quam osorum aperiuntur tunc demum, quando virtutes defunctorum efflorescent.

Et sic hisce finem impono Lectori simul significans me non tam laudi meae favisse, quam circa literaturam providentiae divinae ostendere voluisse. Ignoscat igitur huic specimini historico-moralie vilissimo, & favorem conciliet suum meditationibus maxime theologicis in futurum nisus.

DEO sit Laus & Gloria.



hc





Ad 1402<sup>c</sup>  
8



**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

4446

# SORTEM ERUDITORUM INTER SE INVICEM CONSPICUAM SEU COMPARATE CONSIDERATAM, SIVE DOTES AC VIRTUTES, QUIBUS

Nonnulli eruditi προεδρίαν præ se ferunt, dum  
præ aliis eruditis à teneris ad mortem usque inclare-  
scunt; (è quarum suavissimo conspectu inter alia vo-  
catio DEI interna, h. e. capacitas aliqua singularis men-  
ti indita, quippe quæ Literarum cultura per totam  
vitam insigni sæpè excitatur, elucescit) *Folio 8. d. 2*  
exhibit

1536.  
*AD ILLUSTRANDAM CIRCA LITERATURAM  
DEI PROVIDENTIAM*

**M. MARTINUS GREIMIUS,**  
ad D. B. V. Pastor & ad D. Nic. Symmysta  
ILEB.

*No 1402*  
LIPSIAE,  
APUD HÆRED. LANCKISII  
A. M DCC XIV.

